

Вісник Східно-Української Академії

TIROCINIUM



LINGUAE LATINAE

in usum

CLASSIS SECUNDÆ.

Cyprachi

Pretium compacti libri fl. 2. *gr 25*

~~ЗАЛА 15
ШКАФЪ //
ПОЛКА // №10, 152~~

VARSAVIÆ 1821.

—●●●●●●●●●●—
Typis Scholarum Piarum.



156126 KOMMISSYA RZĄDOWA

WYZNAŃ RELIGIYNYCH i OŚWIECENIA
PUBLICZNEGO.

Dzieńko pod tytułem: *Tirocinium Linguae Latinae in usum Classis Secundae* nowo przedrukowane w Warszawie r. b. jako elementarne zatwierdza i do użycia właściwéj Klassie Szkół publicznych przeznacza.

w Warszawie dnia 25. Kwietnia 1821.

Minister Przewodzący
STANISŁAW GRABCOWSKI.

Sekretarz Generalny.
Głuszyński.

D-254/84

ЗАЛА
ШКАФЪ
ПОЛКА №

I.

POWIEŚCI.

1. Thales interrogatus, an facta hominum deos laterent, respondit, ne cogitata quidem.
2. Solon, qui Atheniensibus leges scripsit, dicebat, neminem, dum viveret, beatum haberi posse, quod omnes ad ultimum usque diem ancipiti fortunae obnoxii essent.
3. Bias, unus ex septem sapientibus, quum patriam Prienen ab hostibus expugnatam et eversam fugeret, interrogatus, cur nihil ex bonis suis secum ferret, ego vero, respondit, bona mea mecum porto omnia.
4. Democritus, cui pater ingentes divitias reliquerat, omne fere patrimonium suum civibus donavit, ne domesticarum re-

rum cura a philosophiae studio avocaretur.

5. Anaxagoras quum a longinqua peregrinatione, suscepta scientiae augendae causa, in patriam rediisset, agrosque suos neglectos et desertos videret, non essem, inquit, salvus, nisi ista periissent.

6. Archytas Tarentinus, quum ab itinere reversus, agros suos villici socordia neglectos videret, graviter te castigarem, inquit, nisi iratus essem.

7. Plato quoque quum in servum vehementius exarsisset, veritus ne vindictae modum exerceret, Speusippo adstanti mandavit, ut de illius pena statueret.

8. Xenocrates philosophus quum maledicorum quorundam sermone interesset, neque quidquam ipse loqueretur, interrogatus, cur solus taceret, respondit: quia dixisse me aliquando poenituit, tacuisse nunquam.

9. Pindarus poëta Thebanus, Apollini gratissimus fuisse dicitur. Quare saepe a sacerdotibus in templum Delphicum ad coenam vocabatur, parsque ei tribuebatur donorum, quae sacrificantes deo obtulerant. Ferunt etiam Pana Pindari hymnis tantopere fuisse laetatum, ut eos in montibus et sylvis caneret. Quum Alexander rex Macedoniae, Thebas diriperet, unius Pindari domo et familiae pepercit.

10. Demostenes Atheniensis incredibili studio et labore eo pervenit, ut omnes aetatis suae oratores superaret eloquentia. Nunquam tamen ex tempore dicebat, nisi rem, de qua in concione ageretur, accurate antea meditatus esset.

11. Pericles in concionem iturus, quum animo perpenderet, quantum periculi inconsiderate dicta hominibus afferrent, solebat precari a diis, ne quod ipsi verbum imprudenti excideret, quod reipublicae officere posset.

12. Cyrus omnium suorum militum nomina memoria tenebat. Mithridates autem, rex Ponti, duarum et viginti gentium, quae sub regno ejus erant, linguas ita didicerat, ut cum omnibus, quibus imperabat, sine interprete loqui posset.

13. Quum quidam Trasybulo, qui civitatem Atheniensium a tyrannorum dominatione liberavit, dixisset: quantas tibi gratias Athenae debent! ille respondit: Dii faciant, ut quantas ipse patriae debeo gratias, tantas ei videar retulisse.

14. Philippus rex Macedonum, monentibus eum quibusdam, ut Pythiam cave-ret, fortem militem, sed ipsi alienatum, quod tres filias aegre aleret, nec a rege adjuvaretur, dixisse fertur: Quid si partem corporis haberem aegram, abscinderem potius, an curarem? Deinde Pythiam ad se

vocatum, accepta difficultate rei domesticae, pecunia instruxit. Quo facto nullum rex militem Pythia fidiorem habuit.

15. Mulier quaedam ab eodem Philippo, quum a convivio temulentus recederet, damnata, a Philippo, inquit, temulento ad Philippum sobrium provoco.

16. Philippus rex Macedoniae praeficare solebat, se oratoribus maximam gratiam habere. Nam conviciis suis, inquit, efficiunt, ut quotidie melior evadam, dum eos dictis, factisque mendacii arguere cogor.

17. Eiusdem regis epistola fertur scripta ad Aristotelem philosophum, qua filium sibi natum esse nuntiavit. Erat illa epistola verbis concepta fere his: Filium mihi genitum esse scito. Quod equidem diis habeo gratiam: non tam quod natus est, quam quod ei contigit nasci temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut a te educatus et eruditus dignus evadat et nobis et rebus, quas ipsi relicturi sumus.

18. Alexander Macedo Philippi filius quum puer a praeceptore suo audivisset, innumerabiles mundos esse, heu me miserum! inquit, qui ne uno quidem adhuc potitus sum.

19. Quum Alexander Macedonum quorundam benevolentiam largitionibus sibi conciliare conatus esset, Philippus enim his verbis increpuit: Sperasne eos tibi fideles

esse futuros, quos pecunia tibi conciliaveris? Scito, amorem non auro emi, sed virtutibus.

20. Quum Alexander Graeciae populis imperasset, ut divinos ipsi honores decernerent, Lacedaemonii his verbis utebantur: quoniam Alexander deus esse voluit, esto deus; Laconica brevitate regis notantes vercordiam.

21. Mausolus, rex Cariae, Artemisiam habuit conjugem. Haec, Mausolo defuncto, ad conservandam ejus memoriam, extruxit sepulchrum illud nobilissimum, ab ejus nomine appellatum, quod inter septem orbis terrarum miracula numeratur.

22. Mithridates, rex Ponti, saepe venenum hauserat, ut sibi a clandestinis caveret insidiis. Hinc factum est, ut, quum a Pompejo superatus, mortem sibi consciscere vellet, ne velocissima quidem venena ei nocerent.

23. Quum Gyges, rex Lydiae ditissimus, oraculum Apollinis interrogaret, an quisquam mortalium se esset felicior? Deus Aglaum quendam Psophidium feliciorum praedicavit. Is autem erat Arcadum pauperrimus, parvuli agelli possessor, cujus terminos, quamvis senex, nunquam excesserat, fructibus et voluptatibus ruris angusti contentus.

24. Pyrrhus, rex Epiri, quum in Italia

esset, audivit, Tarentinos quosdam juvenes in convivio parum honorifice de se loquutos esse. Eos igitur ad se arcessitos percunctatus est, an dixissent ea, quae ad aures suas pervenissent. Tum unus ex his, nisi, inquit vinum nobis defecisset, multo etiam plura et graviora in te loquuturi eramus. Haec criminis excusatio iram regis in risum convertit.

25. Marsyas, frater Antigoni, regis Macedoniae, quum causam haberet cum privato quodam, fratrem rogavit, ut de ea domi cognosceret. At ille, in foro potius, inquit. Nam si culpa vacas, innocentia tua ibi melius elucescet; sin damnandus es, nostra justitia.

26. Spartanus quidam quum rideretur, quod claudus in pugnam iret, at mihi inquit, pugnare, non fugere est propositum.

27. Diagoras Rhodius, quum tres ejus filii in ludis Olympiis victores renuntiati essent, tanto affectus est gaudio, ut in ipso stadio, inspectante populo, in filiorum manibus animam redderet.

28. Scipio Africanus nunquam ad negotia publica accedebat, antequam in templo Jovis precatus esset.

29. Metellus Pius in Hispania bellum gereus, interrogatus, quid postero die facturum esset? tunicam meam, inquit, si id eloqui posset, comburerem.

30. Lucius Mammius, qui Corintho capta, totam Italiam tabulis stansque exornavit, ex tantis manubiis nihil in suum usum convertit, ita ut, eo defuncto, non esset, unde ejus filia dotem acciperet. Quare Senatus ei ex publico dotem decrevit.

31. Scipio Africanus major, Ennii poetae imaginem sepulcro gentis Corneliae collocari jussit, quod Scipionum res gestas carminibus suis illustraverat.

32. Lucius Junius Brutus, qui Romam a regibus liberavit, filios suos, qui Tarquinium regem expulsam restituere conati erant, ipse capitis damnavit, eosque virgis caesos securi percussit.

33. In bello Romanorum cum Perseo, ultimo Macedoniae rege, accidit, ut serena nocte subito luna deficeret. Haec res ingentem apud milites terrorem excitavit, qui existimabant, hoc omine futuram cladem portendi. Tum vero Sulpicius Gallus, qui erat in eo exercitu, in concione militum, causam hujus rei tam diserte exposuit, ut postero die omnes intrepido animo pugnam committerent.

34. Lycurgi leges erudiebant juventutem laboribus, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Sparta vero pueri ad aram sic verberibus accipiebantur, ut multus e visceribus sanguis exiret; nonnunquam etiam ad necem. Horum non

modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.

35. Spartanorum gens fortis fuit, dum Lycurgi leges vigeant. Eorum rex Leonidas in Thermopylis se, trecentosque eos, quos eduxerat Sparta 1), quum esset proposita 2) aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit 3) hostibus, suosque milites ita allocutus est 4): Pergite animo forti, Lacedaemonii: hodie aput inferos fortasse coenabimus. — E quibus unus, quum hostis in colloquio dixisset glorians: Solem prae jaculorum et sagittarum multitudine non videbitis: in umbra, inquit, igitur pugnabimus. Quumque Lacaena *) quaedam filium in proelium misisset 5) et eum interfectum 6) audisset; Idcirco inquit, eum peperit 7), ut pro patria mori non dubitaret.

- 1) *W czasie wojny z Xerxesem królem Perskim.* 2) proponere, *maiąc wybor pomiędzy...* 3) opponere. 4) alioqui. *) *Spartanka.* 5) mittere. 6) interficere. 7) parere.

36. Apud Graecos incredibili quadam magnitudine ingenii fuit Atheniensis Themistocles. Ad hunc quidam doctus homo accessisse 1) dicitur, eique artem memoriae pollicitus esse 2) se traditurum 3). Quum ille quaesisset 4), quidnam illa ars efficere posset, dixit ille doctor, efficere eam, ut omnia meminisset. Tum Themistocles respondit, gratius sibi fore, si se oblivisci

quae vellet, quam si meminisse, docuisset 5).

- 1) accedere. 2) polliceri. 3) tradere. 4) quaerere. 5) docere.

37. Quum quidam ex Dionysii assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse: Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam haec vita te delectat, ipse eam degustare et fortunam experiri meam? Quum ille se id cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrime textili stragulo, magnificis operibus picto: abacosque complures ornavit argento, auroque. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque nutum ejus intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae: incendebantur odores: mensae exquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, seta equina aptum, e lacunari demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores adspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in mensam: jam ipsae defluebant coronae: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse.

38. Quum rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset 1), perfuga ab eo venit in castra Fabricii 2), eique est pollicitus 3), si praemium sibi proposuisset 4) se clam in Pyrrhi castra rediturum 5), et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrum: idque factum ejus a senatu laudatum est.

1) inferre 2) *Fabr. wódz Rzymski*, 3) polliceri 4) proponere. 5) redire.

39. M. *) Curius quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumsit 1) extremum tempus aetatis in vita rustica. Eidem 2) ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent 3), repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere, praeclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.

*) Manius. 1) consumere. 2) idem. 3) afferre.

40. Civitas Atheniensium prudentissima 1) fuisse traditur. Hujus porro civitatis sapientissimum 2) dicunt Solonem fuisse eum, qui leges, quibus diu utebantur, scripserit 3). Is quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum 4) putasse.

1) prudens. 2) sapiens. 3) scribere. 4) facere.

41. Quum tyrannus Hiero quaesivisset 1) de Simonide, quid aut qualis sit dens, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit 2). Quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: „Quia, inquit, quanto diutius 3) considero, tanto mihi res videtur obscurior.”

1) quaerere. 2) petere. 3) diu.

42. M. Atilius Regulus, quum Consul iterum 1): in Africa a Carthaginiensibus captus esset 2): juratus 3) missus est ad senatum, ut, nisi redditi 4) essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is quum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam falsam esse judicavit. Haec utilitas erat talis: manere in patria, esse domi suae cum uxore, cum liberis, tenere consularis dignitatis gradum 5). Itaque quid fecit? In senatum venit, mandata exposuit 6); sententiam dicere recusavit: quamdiu jurejurando 7) hostium teneretur 8) non esse se senatorem. Atque illud etiam, reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse et bonos duces 9), se jam confectum 10) senectute. Quum valisset ejus auctoritas 11), captivi retenti sunt 12); ipse Carthaginem rediit: neque eum caritas patriae retinuit,

nec suorum. Neque vero tum ignorabat 15), se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci: sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque eum Carthaginienses resectis 14) palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt.

- 1) Będąc powtórnie konsulem. 2) w drugiey wojnie Punickiey. 3) Złożywszy przysięgę. 4) redere. 5) sprawować świetny urząd Konsula. 6) exponere. 7) jusjurandum. 8) że dopóki nie będzie uwolnionym od przysięgi, którą nieprzyjacielowi złożył.... 9) dux. 10) conficere. 11) gdy zdanie jego przemogło. 12) retinere. 13) wiedział że..... 14) resecare.

43. Damon et Pythias tam fidelem inter se amicitiam junxerant 1), ut mori parati essent alter pro altero. Quum eorum alter, a Dionysio tyranno nece damnatus, impetrasset tempus, quo profectus 2) domum res suas ordinaret: alter vadem 3) se dare tyranno pro reditu ejus non dubitavit, ita ut, si ille non revertisset ad diem, moriendum esset sibi ipsi. Igitur omnes, et imprimis Dionysius, cupide exspectabant novae rei exitum. Appropinquante deinde defuita die, nec illo redeunte, unusquisque vituperabat tam temerarium sponsorem. At is nihil se de amici fide metuere praedicabat. Et ille ad diem dictam supervenit. Admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se in amicitiam tertium 4) reciperent, et supplicio liberavit eum, qui morte erat plectendus.

- 1) jungere. 2) proficisci. 3) vas. 4) iako trzeciego.

44. Argivae 1) cujusdam sacerdotis filii jure laudantur ob insignem pietatem in matrem. Quum enim illam ad solemne sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tunc juvenes illi veste posita 2), corpora oleo perunxerunt 3), et ad jugum accesserunt 4). Ita sacerdos advecta 5) in fanum, quum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo: post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, sed mane inventos 6) esse mortuos.

- 1) Synowie xieni Argiwickiey przy świątyni Junony. 2) ponere. 3) perungere. 4) accedere. 5) advenire. 6) invenire.

45. Imperator Titus, qui natura erat benevolentissimus, amor ac deliciae generis humani appellatus est. Hoc illi propositum et solenne fuit 1), ne quem accedentium ad se sine spe dimitteret. Admonentibus autem domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset: Non oportet, ait, quemquam a sermone principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset 2), memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: Amici, hodie diem perdidit.

1) *stadem to iego przedsięwzięciem było.* 2) *że nie nikomu nie wyświadczył.*

46. Nihil apud Graecos atque inprimis Lacedaemonios turpius erat militi, quam e pugna redire sine clypeo. At contra summa laus erat, vulneribus adverso corpore 1) acceptis occisum 2), et clypeo impositum 3) in patriam reportari. Unde mulier Lacaena filio ad bellum proficiscenti scutum tradens, dixisse fertur; Aut hoc, aut in hoc. Id est, aut hoc scutum domum refer e pugna, aut ipse in hoc scuto jacens domum reportator.

1) *z przodu, na piersiach.* 2) *occidere.* 3) *imponere.*

47. Cynaegiri, militis Atheniensis, gloria magnis laudibus celebrata est. Quum enim post innumeras caedes proelii, in campis Maratonis duce Miltiade contra Persas commissi 1), fugientes hostes in naves egisset 2): onustam navem dextra manu tenuit, nec prius dimisit 3), quam manum amitteret. Tum quoque, amputata dextra 4), navem sinistra comprehendit. Quum et hanc amisisset 5) ad postremum morsu navem detinuit. Tanta in eo virtus fuit, ut non tot caedibus fatigatus, non ambabus manibus amissis victus 6), ad postremum truncus et veluti rabida fera dentibus dimicaverit.

1) *committere.* 2) *agere.* 3) *dimittere.* 4) *scil; manu.* 5) *amittere.* 6) *vincere.*

48. Periclem in foro publica negotia tractantem improbus et petulans homo convitiis insectabatur. Quae quum ille patienter ferret, nec ullum ad ea verbum reporeret, diem totum perseveravit ille. Vespere vultu gressuque placido domum rediit Pericles, insequente eodem nebulone et omnibus opprobriis eum obruente. Domum ingressurus 1), quum jam nox esset, iussit 2) servorum unum, accensa 3) lucerna hominem comitari ac reducere domum.

1) *ingredi.* 2) *jubere.* 3) *accendere.*

49. Rex Atheniensium Codrus, quum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro igneque vastaretur, ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset. Respondit deus, ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset 1). Hoc non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis percreebuit 2): eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit 3), deposuit 4) insignia imperii, famularem cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese objecit 5): unumque



ex his, falce 6) percusum 7) in caedem suam compulit 8). Ita illius interitu, ne Athenae perirent, effectum est 9).

- 1) *Jeżeliby sam od nieprzyjacielskiej ręki zginął.*
 2) percrehescere. 3) cognoscere. 4) deponere.
 4) objicere. 6) falx. 7) percutere. 8) compellere. 9) efficere.

50. Quum Alexander, Macedonum rex, sorte 1) monitus esset 2), ut eum, qui sibi porta egresso 3) primus occurrisset, interfici juberet: asinarium forte ante omnes obviam factum ad mortem arripi imperavit. Quaerente eo, cur se innocentem capitali supplicio addiceret, ad excusandum factum suum oraculi praeceptum retuli 4) Tum asinarius: „ Si ita est, inquit, rex alium sors huic morti destinavit. Nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. ” Delectatus Alexander et illius tam callido dicto, et quod ab errore ipse revocatus erat 5, immolavit asellum.

- 1) *przez wyrocznię:* 2) monere. 3) egredi. 4) referre. 5) *że sam z błędu był wyprowadzony.*

51. Socrates Alcibiadem discipulum suum, divitiis et agrorum multitudine superbientem, adduxit ad locum, in quo tabula quaedam, descriptionem terrae complectens, suspensa erat 1), eumque rogavit, ut in

ea Atticam quaereret. Quam quum invenisset, suos quoque fundos eum jussit quaerere atque monstrare. Quum responderet, hos nusquam ibi pictos 2) esse; Socrates, „ Nonne te pudet, inquit, agrorum possessione superbire, qui nulla pars terrae sunt? ”

- 1) suspendere: 2) pingere.

52. Alexander Ephesi imaginem suam contemplatus, quam Apelles celeberrimus illius temporis pictor, pinxerat 1) minus laudavit picturam quam merebatur. Quum autem introductus 2) equus adhinniret equo picto, quasi et hic verus esset equus, Apelles, O rex! inquit, equus hic peritior artis pingendi, quam tu esse videtur.

- 1) pingere. 2) introducere.

52. Menecrates medicus, adeo superbia erat inflatus, ut ipse Jovem 1) se appellaret. Aliquando lautissimum convivium instruxit 2) Philippus, Macedonum rex. Invitavit etiam illum, seorsimque mensam ei jussit apparari, et apponi acerram, suffitumque fieri. Et ceteri quidem epulabantur: Menecrates autem primum gaudebat honore divino: sed quum paulatim fames obreperet, et homo esse convinceretur, isque 3) vanus et stolidus; surrexit 4) et abiit injuria se affectum esse 5) conquestus 6).

- 1) Jupiter. 2) instruere. 3) *że był człowiekiem, a co większa dumnym i..*, 4) surgere. 5) afficere. 6) conqueri.

54. In Demostene tantum studium, tantusque labor fuisse dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit. Nam quum ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere 1), perfecit meditando, ut nemo planius eo loqueretur. Deinde perduxit exercitatione continua vocem suam, quae propter nimiam exilitatem acerba auditu erat, ad gratum auri- bus sonum. Quippe conjectis 2) in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronunciare consuescebat; neque in consistens in loco, sed inambulans atque ascensu ingrediens arduo. Cellam quoque aedificasse subterraneam dicitur, in qua duos tresve menses continuos aliquando inclusus 3) operam dabat gestui et voci, et quidem media parte capitis abrasa 4), ut in publicum sine verecundia prodire non posset.

- 1) *To jest, R. pierwsza głoska wyrazu, Rhetorica, Krasomowstwo.* 2) conicere. 3) includere. 4) abraderere.

55. Decreverant 1) Athenienses, ut, qui Megaris civis esset, interficeretur, si Athenas pedem intulisset 2): tanto Athe-

nienses odio flagrabant finitimorum hominum, Megarensium. Euclides, qui Megaris civis erat, jam ante id decretum consueverat 3) et esse Athenis et audire Socratem. Sed postquam id decretum sanxerunt 4) Athenienses, sub noctem, priusquam advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, pallioque versicolore amictus 5), et caput rica velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat; ut noctis aliquo tempore consiliorum, sermonumque Socratis fieret particeps: rursumque sub lucem viginti millia passuum eadem veste illa tectus 6) redibat.

- 1) discernere. 2) inferre. 3) consuescere. 4) sancire. 5) amicire. 6) tegere.

56. Antisthenes discipulos hortabatur, ut sedulo operam darent sapientiae, at pauci obtemperabant. Itaque tandem indignatus dimisit 1) omnes, inter quos erat etiam Diogenes. Qui quum incensus 2) magna discendi cupiditate ad eum tamen ventitaret, nec discedere vellet; minatus tandem est Antisthenes, se percussurum 3) illius caput baculo, quem solebat manu gestare: et his minis non territum revera percussit aliquando. Non recessit 4) propterea Diogenes, sed animo obstinato: Percute, inquit, si ita placet: Ego tibi caput praebeo. Neque vero tam durum fustem inveneris,

quod percutit.

quo me a tuis disputationibus abiges. Admisit tandem tam cupidum doctrinae discipulum Antisthenes, et eum maxime amavit.

1) dimittere. 2) incedere. 3) percutere. 4) recedere.

57. Salse ridebat Diogenes, inertiam et incuriam Megarensium, qui liberos suos nullis bonis artibus instruebant, curam vero pecorum diligentem habebant. Dicebat enim; malle se arietem esse Megarensis alicujus, quam filium.

58. Quam admodum puer esset Cato, quaerentibus ex eo quibusdam, quem omnium maxime diligeret, respondit: Fratrem. Iisdem rursus quaerentibus, quem secundum maxime diligeret, Fratrem, respondit. Interrogatus de tertio, idem responsum dedit 1): donec illi a percontatione desisterent. Crevit 2) cum aetate illa in fratre. benevolentia et reverentia: ab ejus latere non discedebat, ei se in cunctis obedientem praebat, et annos natus 3) viginti sine fratre Caepione nunquam coenaverat, non in forum progressus 4), non peregre profectus 5) fuerat. Utriusque probi erant mores; sed Catonis vita severior. Itaque Caepio, quum ipsius frugalitas et temperantia laudaretur, fatebatur se virum frugi videri posse, si cum multis Romanorum compararetur. „At ubi, inquebat, cum Catonis vita comparo meam, nihil mihi vi-

deor a Sippio differre.” Erat autem ille Sippius vir nequam et luxuriae deditus.

1) dere. 2) crescere. 3) nasci. 4) progredi. 5) proficisci.

59. Erat Murgentii, quod est oppidum Siciliae, vir opibus et gloria princeps civitatis suae, cui nomen Cambalus. Hic venatum egressus 1) quum in latronum manus paene incidisset, pedibus in oppidum coepit properare. Ei tum forte Gorgus pater, equo vectus 2) occurrit, et statim equo desiliit, filiumque hortatus est, ut equo consenso protinus in urbem confugeret. At filius salutem suam patris incolumitati praeferre noluit; neque pater vicissim voluit periculum effugere projecto 3) ad certam mortem filio. Itaque quum alter alterum flens oraret, et ambo inter se certarent, interim latrones utrumque assecuti 4) confoderunt.

1) egredi. 1) vehere. 3) projicere, *wystawiać syna* 4) assequi.

60. Athenis olim fuit vir quidam, nomine Timon, qui in universum hominum genus odium conceperat 1). Is aliquando prodiit in concionem. Quod quum praeter consuetudinem faceret, magna omnium expectatio fuit, quidnam afferret. Tum ille e suggestu, in quem ascenderat: „Athe-

nienses, inquit, est mihi area quaedam, in qua crevit 2) ficus, e qua multi sponte se suspenderunt. Quoniam autem in area illa aedes extruere decrevi 3), monere vos volui, priusquam ficum excindam, ut, si qui de suspensio cogitant, maturent quam maxime."

1) concipere. 2) crescere. 3) decernere.

61. Diogenes moribundus projici se jussit inhumatum. Tum amici: Volucrisne et feris? — Minime vero, inquit: sed bacillam propter me, quo abigam, ponite. — Qui poteris? illi 1), non enim senties? — Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit 2), nihil sentienti?

1) scil. dixerunt. 2) obesse.

62. Babyloniorum regina, Nitocris, supra portam urbis celeberrimam, loco edito et conspicuo, sepulcrum sibi extrui jussit, atque inscribi: Si cui regum, qui post me apud Babylonios imperium obtinebunt, pecuniae inopia fuerit, aperito sepulcrum, et sumito quantum libuerit: Ne tamen aperito, nisi iudiquerit; non enim proderit 1) aperuisse. — Hoc sepulcrum intactum permansit 2), donec regum pervenit ad Darium, Hystaspis filium, qui reserato monumento, non quidem pecunias, quas speraverat, invenit, sed cadaver, et haec ver-

ba exarata: Nisi turpis lucri studiosus esses, et inexplibilis te pecuniae cupiditas teneret, mortuorum sepulcra non violares.

1) prodesse. 2) permanere.

63. Ferunt, hunc apud veteres Aegyptios morem fuisse, ut mortui regis corpus non prius sepulcro conderetur, quam cuncta ejus facta expensa 1) essent. Volenti cuique licebat defunctum accusare. Instituebatur iudicium, et si plura male fecisse 2) rex coaqueretur, carebat sepulcro. Hujus dedecoris 3) timore factum est ut multi pie justaeque imperaverint.

1) expendere facere. 3) dedecus.

64. Mulieres in India, quum est cujusve earum vir mortuus 1), coram iudicibus certant, quam plurimum ille dilexerit 2): plures enim singulis solent esse nuptae 3). Quae est vicrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogam imponitur: illae victae moestae discedunt.

1) mori. 2) diligere. 3) nubere.

65. Vetusto Macedoniae more regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. E quibus unus, turibulo arrepto, ante ipsum adstitit 1), in cujus brachium carbo ardens delapsus est 2): quo

etsi ita urebatur, ut adusti 3) corporis odor ad circumstantium nares perveniret; tamen et dolorem silentio pressit 4), et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso 5) turibulo impediret, aut edito gemitu regis animum turbaret.

1) adstare. 2) delabi. 3) adurere. 4) premere. 5) concutere.

66. Xenophon, quum solemne sacrum perageret, e duobus filiis majorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam in proelio cecidisse 1) cognovit 2): nec ideo institutum deorum cultum omittendum putavit, sed satis habuit coronam 3) deponere. Percontatus deinde, quonam modo occidisset, audivit, fortissime pugnantem interrisse. Tum capiti reposuit 4) coronam, numina, quibus sacrificabat, testatus, majorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire.

1) cadere. 2) cognoscere. 3) *starożytni zdobili głowy wieńcem, w czasie ofiar uroczyстых.* 4) reponere.

67. Agathocles, Siciliae tyrannus, ad regni majestatem ex humili genere pervenit: quippe in Sicilia patre figulo natus erat 1). Postquam autem imperio potitus est 2), solebat in mensa pocula fictilia inter aurca

ponere, et palam fateri, se quondam ejusmodi poculorum fuisse artificem.

1) nasci. 2) potiri.

68. Socrates philosophus dicitur suasisse 1) discipulis, ut, qui inspecto 2) speculo formosus sibi videretur, caveret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; qui vero deformis, daret operam, ut virtutis splendore vultus turpitudinem tegeret.

1) suadere. 2) inspicere.

69. Quum in regali solio sederet Croesus pretiosissimis vestibus indutus, Solonem interrogavit, an pulchrius unquam spectaculum vidisset? „Gallos, inquit ille, gallinaceos, phasianos, et pavones: naturali enim et inimitabili hi colore ac pulchritudine fulgent.”

70. Quotidie ad rationem reddendam vocandus est animus. Faciebant hoc Pythagorei philosophi, ut consummato die, quum se nocturnae quieti dedissent 1), interrogarent animum suum: Cui vitio hodie obstitisti 2)? Quod hodie malum tuum sanasti? qua parte melior es? — Quid pulchrius utiliusque hac consuetudine excutiendi totum diem!

1) dare. 2) obstare.

71. Lex erat apud Lacedaemonios, ut adolescentes non solum parentes suos reverentur, eisque obegirent, sed seniores quoque omnes colerent. Itaque de via illis decedebant, e sedibus assurgebant, et consistebant quieti et verecundantes, dum illi transirent. — Quum Athenis senex quidam in theatrum venisset, spectatum ludos, in magno consessu locus ei a suis civibus nusquam est datus. Quum autem ad Lacedaemoniorum legatos, qui ludis interessant, accessisset 1), consurrexere 2) omnes, et senem illum fessum recipere 3), sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod quum adspexisset 4) populus, maximo plausu alienae urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum e Lacedaemoniis dixisse: Ergo Athenienses, qui sit rectum, sciunt, sed id facere negligunt.

1) ascendere. 2) consurgere. 3) recipere. 4) adspicere.

72. Apelles, pictor egregius, perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quae notarentur, auscultabat, vulgus severiorem se judicem existimans. Ferunt a sutore reprehensum 1) esse vitium quoddam in crepidis. Apelles igitur emendavit. Postero die transiit idem sutor, et superbus emendatione, cavillari coepit circa

cras. Tum indignatus pictor prospexit 2) eique denunciavit, ne supra crepidam sutor judicaret.

1) reprehendere. 2) prospicere.

73. Zeno adolescentulo inepta multa loquenti: „Idcirco, inquit, aures habemus duas et os unum, ut plura audiamus, quam loquamur.”

74. Julii Drusi aedes pluribus ex partibus patebant vicinorum prospectui. Hoc incommodum faber lignarius, si quinque talenta ei darentur, se correcturum 1) pollicebatur, effectumque 2), ne pars ulla esset exposita prospectui. Tum Drusus: „Decem, inquit, dabo, si talem reddideris domum meam, ut non vicini tantum, sed omnes cives videre possint, quomodo in ea vivam.”

1) corrigere. 2) efficere.

75. Thebis Aegyptiacis cernebantur simulacra iudicum sine manibus, et praesidis eorum oculos in terram defixos 1) habentis. Quo significabatur, eos, qui jus dicunt, nec donis nec conspectu reorum moveri oportere.

1) defigere.

76. Athenis erat sanctissimum et severissimum consilium 1) Areopagus. Ibi ne

reorum miserando adspectu iudices commoverentur, ipsa nocte, nullis admotis 2) luminibus, iudicia exercebant, summoque silentio sententiam tabella dabant, ita ut alter alterius sententiam ignoraret. Hi Areopagitae damnaverunt aliquando puerum, qui coturnicum oculos eruere solitus erat, iudicantes, id signum esse perniciosissimae mentis, multisque malo futurae *), si adlevisset 3). — Ab iisdem diligentissime inquiri solebat, quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quaestu sustentaret vitam, ut homines honeste viverent, memores vitae rationem reddendam esse.

1) zgromadzenie sędownicze. 2) admovere. *) nie szczęściem być może. 3) adolescere.

77. Sisamnem, unum e Persarum iudicibus, quoniam pecunia accepta 1) injuste iudicasset, rex Cambyses morte plecti iussit: interemtique 2) detracta 3) pelle contexit 4) tribunal, in quo ille sederat. Tum filium ejus Otanem ibidem sedere iudicem voluit, admonuitque, ut nunquam paternae culpa ac poenae oblivisceretur. Severior postea Artaxerxes, Persarum rex, in quosdam malos iudices fuit. Nam vivis pelles detrahi iussit, iisque aliorum iudicum subsellia insterni, ut semper ante oculos haberent recens exemplum iustitiae non impune violatae.

1) accipere. 2) intorimere. 3) detrahere. 4) contigere.

78. Cimon, Atheniensium Imperator, fuit tanta liberalitate, ut quum compluribus locis praedia hortosque haberet, nunquam in eis custodem imposuerit 1) fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti 2) ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe quum pauperem aliquem videret minus bene vestitum; suum amiculum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem praetermittebat. Multos locupletavit: complures mortuos, qui, unde 3) efferrentur, non reliquissent, suo sumtu extulit 4). Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita ejus fuit secunda et mors omnibus acerba.

1) imponere. 2) sequi. 3) po których nie się nie zostało na wydatki pogrzebowe. 4) efferre.

79. Phocion Atheniensis, integritatis vitae magnam famam consecutus 1), cognomine Bonus est appellatus. Fuit enim perpetuo pauper, quum ditissimus esse posset propter frequenter delatos 2) honores, potestatesque summas, quae ei a populo

dabantur. Hic quum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legati que hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam; his ille: „ Si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit 3); sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.

1) consequi. 2) deferre. 3) perducere.

80. Plutarchus servo suo, nequam homini et contumaci, sed erudito et in libris philosophorum versato, tunicam detrahi, ob nescio quod delictum, ceditque eum loco jussit. Coeperat verberari, et obloquebatur, se non meruisse, ut vapularet, nihil mali, nihil sceleris admisisse 1). Postremo vociferari inter vapulandum incipit: non ita facere Plutarchum, ut deceret philosophum: irasci turpe esse: saepe eum de malo iracundiae edisertavisse: librum quoque pulcherrimum ea de re conscripsisse 2): iis omnibus, quae in eo libro scripta sint, nequaquam convenire, quod nunc tam iratus plurimis plagis se mulcaret. Tum Plutarchus lente et leniter. „ Quid verbero? inquit. Num ego tibi nunc irasci videor? ex vultu meo, an ex voce, an ex colore,

colore, an etiam ex verbis intelligis, me ira correptum 3) esse? Mihi neque oculi, opinor, truces sunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo, neque trepido, neque spuma aut rubore iram prodo: neque pudenda dico aut poenitenda. Haec enim omnia, si ignoras, signa esse irae solent. „ Et simul ad eum, qui caedebat, conversus 4): Interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tu age 5).

1) admittere. 2) conscribere. 3) corripere. 4) convertere. 5) *ty rob swoie, to iest, by daley.*

81. Equus Alexandri regis Bucephalus nominabatur. Emtus 1) erat talentis tredecem et regi Philippo, patri Alexandri donatus. In hoc equo dignum memoria visum, quod ubi ornatus erat armatusque ad praelium nunquam inscendi esse ab alio, nisi a rege, passus 2) est. Quum in eo insidens Alexander bello Indico, et facinorosa faciens fortia, in hostium cuneum non satis cautus irruisset, coniectis undique in Alexandrum telis, vulneribus alte in cervice atque in latere equus perfossus 3) est, moribundus tamen ac prope jam exsanguis e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit 4); atque, ubi eum extra tela extulerat, illico concidit et quasi cum solatio, quod dominus superstes esset, animam exspiravit. Tum rex Alexander parta 5) ejus

belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit 6), atque ob equi honores Bucephalon appellavit.

1) emere. 2) pati. 3) perfodere. 4) referre. 5) parere. 6) condere.

82. Hannibal, Carthagine expulsus 1), apud regem Syriae Antiochum commorabatur. Ostendebat ei aliquando Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturum 2) comparaverat: exhibebatque exercitum insignibus argenteis et aureis ornatum. Inducebat etiam currus cum falcibus 3) et elephantos cum turribus: equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgentem. Atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus, Hannibalem adspicit, et: Putasne, inquit, conferri posse hunc exercitum cum Romano, ac satis esse credis Romanis haec omnia? Tum Hannibal eludens ignaviam imbellemque animum militum ejus pretiose armatorum: Satis plane, inquit, esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sint. Nihil neque tam lepide, neque tam acerbe dici potest. Rex de numero exercitus quaesierat 4), et an par futurus esset Romanis: respondit Hannibal de praeda.

1) expellere. 2) facere. 3) wozy wojenne z styrzaczami po obudwu bokach, kosami, na których

gdy żołnierze wpadli wśród nieprzyjaciół, kosami srogie zniszczenie sprawiali. 4) quaerere.

83. Jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque servatum est. Post proelium Cannense 1) Hannibal, Carthaginiensium imperator, ex captivis Romanis electos 2) decem Romam misit 3) mandavitque eis, ut si populo Romano videretur, permutatio fieret captivorum. Hos priusquam proficiscerentur, jurare coegit 4), redituros 5) se esse in castra Poenica, si Romani captivos non permutarent. Veniunt Romam decem captivi. Mandatum Poeni imperatoris in senatu exponunt. Permutatio senatui non placuit 6). Parentes, cognati, affinesque captivorum amplexi 7) eos, ne ad hostes redire vellent, orabant. Tum octo ex iis responderunt: se vinctos 8) esse jurejurando, statimque ad Hannibalem profecti 9) sunt. Duo reliqui Romae manserunt 10), ac liberatos se esse jurejurando dicebant, quoniam quum egressi 11) castris hostium fuissent, regressi essent eodem die, tanquam si aliquid obliti 12) essent, atque ita jurijurando satisfecissent 13), quo promiserant 14), se redituros esse. Haec eorum fraudulenta calliditas tam turpis existimata est, ut contenti 15) vulgo sint, censoresque eos postea omnibus damnis et ignominibus affecerint 15): quo-

niam non fecissent, quod se facturos iuraverant.

- 1) *Bitwa przy Kannach we Włoszech, gdzie Rzymianie wielką klęskę ponieśli.* 2) eligere. 3) mittere. 4) cogere. 5) redire. 6) placere. 7) amplecti. 8) vincere. 9) proficisci. 10) manere. 11) egredi. 12) Oblivisci. 13) satisfacere. 14) promittere. 15) contemnere. 16) afficere.

84. Alexander Magnus admodum erat comis atque liberalis. Gregarius quidam miles in Macedonum exercitu mulum agebat, auro regio onustum. Defesso jumento sarcinam ipse in humeros sublatam 1) portabat. Vidit rex onere oppressum 2), ac re intellecta 3) quum ille onus depositurus 4) esset: Ne fatigeris, inquit, sed absolve reliquum itineris, atque in tentorium tuum hoc defer. 5).

- 1) tollere. 2) oprimeri. 3) intelligere. 4) deponere. 5) deferre.

85. Quum esset ex Socrate quaesitum 1), Archelaum regem, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus habebatur, nonne beatum putaret? Haud scio, inquit, nunquam enim cum eo collocutus sum, — „Ain'tu 2)? aliter id scire non potes?” Nullo modo. — „Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit?” — An ego possim, quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus? — Quid? tu in eo

sitam vitam beatam putas? — Ita prorsus existimo, bonos esse beatos, improbos vero miseros. — „Miser ergo Archelaus?” Certe, si injustus.

- 1) quaerere. 2) *zamiast aise tu? co mówisz?*

86. Quum Hannibal, Carthagine expulsus 1), Ephesum venisset exsul, et invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem philosophum, si vellet, audiret, quumque se velle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus 2) aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerabant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret. Hic Poenus libere respondisse fertur: multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem.

- 1) expellere. 2) scil. *Phormio.*

87. Quum Plato philosophus hominem ita definivisset: Homo est animal bipes implume, ejusque discipulis placuisset 1) haec definitio: Diogenes gallum gallinaceum, cui penas evellerat, in scholam Platonis invehit 2), dicens: Ecce hominem Platonis!

- 1) placere. 2) invehere.

88. Lucernam accensam circumferens Diogenes ambulabat in foro clarissima luce, quaerenti similis. Rogantibus quid ageret? Hominem, inquit, quaero. Quo dicto vituperabat publicos civitatis mores, in qua vix quisquam dignus esset hominis nomine.

89. Quum Myndum venisset Diogenes, quae urbs admodum parva erat, sed magnis atque magnificis portis ornata, exclamavit: Cives Myndii, portas claudite, ne urbs vestra egrediatur.

90. Quum unicus Diogenis servus au fugisset, suadebant omnes, ut eum quaereret. Non faciam, inquit. Ridiculum esset, quum ille sine me vivere possit, me sine eo vivere non posse.

91. Quum in insulam Aeginam navigaret Diogenes, a piratis captus est 1), et in Cretam deductus 2) ibique venundatus. Praecone autem interrogante, quid calle-ret, respondit: Hominibus imperare; simulque digito monstravit Corinthium quendam, nomine Xeniadem magnifico cultu exornatum, et, Huic, inquit, me vende; hic enim enim domino indiget. Emit igitur illum Xeniades, et secum ductum filiis praeceptorem dedit, et toti domui praefecit 3). In hoc munere ita se gessit 4), ut Xenia-

des ubique diceret: Bonus genius domum meam ingressus 5) est.

- 1) capere. 2) deducere. 3) praeficere. 4) gerere.
5) ingredi.

92. Diogenes ubique secum ferre poculum ligneum solebat, quo aquam sibi e fonte aut fluvio hauriret et biberet. Sed quum videret aliquando puerum manibus aquam sibi haurientem, abjiciens poculum: „Apage, inquit. Quid mihi opus est te? Care-re te possum; nam manus idem mihi officium in posterum praestabunt.”

93. In Isthmum convenerant Graeci, ut bellum contra Persas decernerent, et Alexandrum, Macedoniae regem, ducem in hoc bello constituerunt. Confluebant ad Alexandrum omnes viri celebriores salutantes ac gratulantes. Solus deerat Diogenes, qui tum apud Corinthum 1) degebat, Alexandrum nihil curans. Qui quum satis diu eum expectasset, tandem, ut hominem cognosceret, ipse ad illum cum comitibus profectus est 2). Invenit sub dio 3) apricantem. Tum autem paululum se allevavit, quum tanta hominum caterva accederet, et Alexandrum adspexit 4). Comiter eum salutatur Alexander, et hortatur, ut aliquid sibi expetatur. At Diogenes: Hoc unum te rogo, ut e sole paulisper rece-

das. — Obstupuit 5) Alexander viri omnia contemnens animo, et, quum comites eum abeuntes deriderent, dixit: Ego vero, nisi Alexander essem, sane Diogenes esse vellem.

- 1) Koryut właśnie leżał na międzymorzu Isthmus zwaném. 2) proficisci. 3) pod gotém niebem. 4) adspicere. 5) obstupere.

94. Perillus, artifex ingeniosus, quum Agrigentum venisset, ut placeret Phalaridi, civitatis hujus tyranno, ex aere taurum artificiosissimum fabricavit, in cujus latere januam posuit; ut quum inclusus 1) aliquis subjectis 2) ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem, videretur emittere. Hunc taurum tyranno, quem novis hominum tormentis delectari sciebat, obtulit 3) et praemium inventionis petiit. At tyrannus ipsum primum includi jussit 4) in tauro, atque comburi.

- 1) includere. 2) subjicere. 3) offerre. 4) jubere.

95. Pyrrhus rex in itinere 1) incidit in canem, qui interfecti 2) hominis corpus custodiebat. Quum audiisset, eum jam tres dies cibi expertem assidere, nec a cadavere discedere; hominem jussit humari, canem vero secum duci atque curari diligentem. Paucis post diebus militum lustratio habetur. Transeunt singuli sedente rege.

Aderat canis. Is, quum antea quietus et tacitus fuisset, simulac vidit domini sui percussores transire, procurrit furens eosque allatravit; subinde se ad Pyrrhum obvertens, ita quidem, ut non modo rex, sed omnes, qui aderant, suspicionem de iis conciperent. Ergo comprehensi 3) et examinati, levibus quibusdam signis aliunde accedentibus, fassi 4) homicidium, poenas dederunt.

- 1) iter. 2) interficere. 3) comprehendere. 4) fateri.

96. Socratem quum in via nescio quis per lasciviam calcitrasset, admirante quodam, quod id tam patienter ferret: „Quid inquit, si me asiæus calce petivisset, an illum in jus vocarem?”

97. Post Actiacam victoriam 1) Augusto occurrit aliquis inter gratulantes corvum tenens, quem haec dicere instituerat: Ave Caesar, victor, imperator. Miratus Caesar officiosam avem viginti millibus nummorum 2) emit. Salutatus similiter a psittaco emi eum jussit. Idem miratus in pica hanc quoque emit. Exempla haec sutorem pauperem permoverunt, ut corvum institueret ad parem salutationem. Is saepe ad avem non respondentem dicere solebat. Oleum et operam perdidit 3). Tan-

dem corvus salutationem dicere coepit. Tum Augusto obtulit 4) avem. Qui quum audiret corvi salutationem, Satis, inquit, domi saluatorum talium haheo. At corvus apposite addidit 5): Oleum et operam perdidit. Risit 6) Augustus, emique avem iussit, quanti nullam adhuc emerat.

- 1) zwycięstwo nad Antoniuszem pod Akcyum. 2) To iest 2,000 sestercyów, prawie tyle srebrnych groszy, czyli 5,060 złotych Polskich 3) to iest, koszt i moja praca nadaremna, 4) offerre. 5) addere. 6) ridere.

98. Apelles et Protogenes celeberrimi aetatis suae pictores fuere. Protogenes Rhodi vivebat: quo quum Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera Protogenis, fama tantum sibi cogniti, continuo officinam ejus petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplae magnitudinis in machina 1) aptatam picturae anus una custodiebat. Haec Protogenem foris esse respondit: interrogavitque, a quo ipsum quaesitum 2) diceret. Ab hoc, inquit Apelles, arreptoque 3) penicillo lineam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam. Reversu 4) Protogeni, quae gesta 5) erant, anus indicavit. Artifex, protinus subtilitatem contemplatus, dixit: Certe Apelles adfuit 6), non enim alius tam subtile opus perficere potuit. Tum ipse alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxit, et abiens praecepit 7), si

redisset ille, ostenderet, adjiceretque, hunc esse, quem quaereret. Atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vici erubescens, tertio colore lineas secuit 8), nullum amplius locum relinquens subtiliori lineae. At Protogenes, victum 9) se confessus 10), in portum devolavit, hospitem quaerens.

- 1) Machina, znaaczy się tutaj postument czyli sztaluga, na której malarze zakładają czyli zawieszają obraz w czasie roboty, pospolicie Bletragem nazywana. 2) quaerere. 3) arripere. 4) reverti. 5) gerere, co się stało. 6) adesse. 7) praecipere. 8) secare. 9) vincere. 10) confiteri.

99. Apelles Alexandro Magno propter et artem et comitatem gratissimus fuit. Quare rex frequenter in ejus officinam ventitabat, et ab alio pingi se vetuerat 1) edicto. Quum aliquando in officina imperite multa dissereret de arte pingendi, deque coloribus, silentium ei comiter suasit 2). Apelles, rideri eum dicens a pueris, qui colores tererent. Tantum ei erat auctoritatis apud regem, alioquin iracundum.

- 1) vetare. 2) suadere.

100. Apelli in comitatu Alexandri gratia non fuerat cum Ptolemaeo. Qui quum post mortem Alexandri rex Aegypti factus esset, Apelles in navigatione vi tempestatis

Alexandriam expulsus 1) est. Tum subornarunt aemuli ejus 2), qui eum regis nomine ad coenam invitaret. Apelles miratur, ab inimico se invitari: venit tamen ad coenam. Indignatur Ptolemaeus: „Quid vis? inquit, Quis te invitavit?” Apelles quum nomen vocatoris dicere non posset, arrepto 3) carbone extincto 4) e foculo, imaginem ejus in pariete delineavit, ita ut protinus rex ex inchoata imagine vultum fraudatoris agnosceret 5).

- 1) expellere, *zapędzony*. 2) sc. aliquem. 3) arripere. 4) extinguere. 5) agnoscere.

101. Fuerunt olim duo nobiles pictores, alter Zeuxis, alter Parrhasius appellatus. Hi aliquando de arte certarunt. Zeuxis uvas pinxerat 1), atque sic erat imitatus 2) naturae veritatem, ut aves ad tabulam advolarent. Tum Parrhasius tabulam attulit 3), in qua linteum pinxerat. Zeuxis deceptus 4) veram esse linteam putavit, sub quo pictura occultaretur. Quum igitur diutius murari videretur Parrhasius, Zeuxis flagitabat, ut remoto 5) tandem linteum ostenderet picturam Parrhasius. Tum intellecto 6) errore palmam Parrhasio detulit 7) ingenuo pudore, quoniam ipse aves fefellisset 8), Parrhasius autem se artificem.

Postea rursus Zeuxis pinxit puerum uvas ferentem. Ad quas quum advolasset avis, processit 9) iratus operi et dixit: Uvas melius pinxi, quam puerum. Nam, si et hanc picturae partem consummassem, avis timere debuerat.

- 1) pingere. 2) imitari. 3) affere. 4) decipere. 5) remove. 6) intelligere. 7) deferre. 8) fallere. 9) procedere.

OSOBLIWOSCI NATURY.

1. Ciała znaydujące się na ziemi.

Corpora, quae in orbe terrarum conspici-
mus atque tangimus, aut sunt plantae, aut
animalia, aut neutrum.

Tertii generis corpora aut fluida sunt,
aut solida, quae dicuntur fossilia.

Fluidorum praecipua sunt aer, et aqua.
Aether vocatur fluidorum omnium subti-
lissimum, quo compleri spatia mundi ex-
tra aërem nostrum creduntur. Fossilia,
vel cremabilia sunt, vel salia, vel terrae et
lapidum genera, vel metalla.

Ad fossilia, quae ignem et flammam con-
cipiunt, refertur sulphur.

Terrae plura sunt genera, e. g. argillosa,
calce mixta, item arena.

Lapidum alii duriores sunt, ut silex,
marmor; quorum qui duritie, splendore,
pelluciditate, colorum pulchritudine cete-
ros vincunt, gemmae dicuntur: alii friabi-

les, ut rubrica. Omnes autem e simplici-
oribus terrae generibus, multi etiam e sali-
bus et metallis compositi sunt. Et maxi-
mam quidem partem 1), quibus utimur,
metalia ex ejusmodi lapidibus extrahuntur.

1) *pr większą część.*

2. O Zwierzętach w ogólności.

1. Omnia animalia vita et sensu fruun-
tur, paucisque generibus exceptis, locum
permutant. Quorum, quae quatuor pedi-
bus incedunt, ut bos, equus, ovis, canis
et innumera alia, Quadrupedum nomine
insigniri solent. Quum tamen in his aliam
plane naturam habeant, quae vivos foetus
pariunt, aliam, quae ova; commodior vi-
sa est rerum naturalium peritis alia divi-
sio, quae nutritionem foetus, non pedes
spectat. Itaque mammosorum nomine
maximam quadrupedum partem, et mul-
tas praeterea marinas belluas ut phocas et
omnia cete 1) complectitur. Haec pullos
lacte ex uberibus alunt, donec cibum ipsi
sibi parare possint. Ora omnium dentibus
sunt armata; corpora autem terrenorum,
ut et nonnullorum e marinis, pelle ac pi-
lis tecta sunt.

1) *cetis.*

2. Quae binis tantum incedunt pedibus et plumis sunt obducta 2), alisque, quibus per aërem feruntur, instructa 3) aves appellamus. Tales sunt aquila, ciconia, multaeque aliae. Hae pariunt ova, e quibus pulli prodeunt 4). Rostrois praeterea ad eibum capiendū sunt instructae.

2) obducere. 3) instruere. 4) prodire.

3) Piscibus pro pedibus datae sunt pinnae, quarum beneficio in aquis natant; squamis sunt obducti, ovula pariunt, ex quibus pisciculi exclusi statim undas permeant, et alimenta sibi idonea inveniunt. Pisces omnes branchiis non pulmonibus respirant. Extra aquam cito pereunt.

4. Amphibia proprie vocantur, quae in aquis et in terra perinde vivunt. Sed quum sic ea definites diversissimae naturae bestias conjungere, simillimas segregare cogemur; rectius hodie, nulla locorum ratione habita, amphibiorum nomine comprehendimus genera omnia, quae sanguine rubro quidem, sed frigido, praedita sunt, perinde ut pisces, a quibus eo tantum distinguuntur, quod pulmonibus respirant. Eorum autem alia quatuor pedibus ad eundem et ad natandum aptis utuntur, ut ranae, lacertae, testudines. Alia vere pedibus omnino carent, ideoque serpunt, ut

anguis. Utrorumque plurima genera ovula ponunt, ex quibus foetus prodeunt.

5. Insecta sunt bestiolae duriusculae et plerumque fragili cute vestitae. Maxima eorum pars pluribus quam quatuor pedibus et praeterea ad volandum alis est praedita. Oriuntur ex ovulis, unde vermiculi primo exeunt, qui deinde in perfectiores papilionum, cicadarum, muscarum formas mutati, corpora in tria segmenta, caput, thoracem, abdomen distincta habent.

6. Vermium corpus molle est, pedibusque destitutum. Maxima pars supra terram aut in aqua tardo reptant gradu, dum se ipsos eundo contrahunt, rursusque extendunt, ut lumbrici et cochleae. Alia locum mutare nequeunt, ut coralia, quorum lapidosa, quibus inhaerent, domicilia scopulis aut fundo maris infixata sunt. Aliorum nudum est corpus; aliis, ut cochleis conchyliisque, tegumento est dura testa.

Praeter memoratas bestiolas insignis talium superest multitudo, quae aciem oculorum plane effugiunt.

3. Rozmaitość zwierząt.

Animantium in orbe terrarum magna varietas est. Terrenae sunt aliae partim

aquaticae, aliae in utraque sede viventes. Aliae sunt quadrupedes, aliae bipedes, aliae multipedes, aliae pedibus carent. Omnibus fere certus motus est; vel ambulant enim et gradiuntur, vel saliant, vel currunt, vel volant, vel natant, vel serpunt. Aliae nudis coriis tectae 1) sunt, aliae villis vestitae; aliae pilo, aliae setis, aliae spinis, aliae cortice, aliae testis integuntur, aliae aspera cute, aliae molli: pluma alias, alias squama videmus obductas 2); aliae cornibus armatae sunt, aliae habent pennas, quibus aufugiunt. Cibum partim oris hiant et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Aliae sugunt, aliae carpunt, aliae vorant, aliae mandunt. Atque etiam aliarum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiores sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli ut struthiocameli, adjuvantur proceritate collorum; et maximum animalium terrestrium elephantus, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habet ad pastum, proboscide utitur vice manus. At bestiis, quae alius generis bestiis vescuntur, aut vires datae sunt, aut celeritas; data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque solertia, ut araneolis quarum aliae quasi rete texunt, ut, si qui inhaeserit 3,) conficiant, aliae autem obse-

vant, et, si quid incidit 4) arripiunt idque consumunt.

1) tego. 2) obducere. 3) inhaerere. 4) *gdy się coś nawinie.*

4. O zwierzętach czworonożnych w ogólności.

1. Pauca sunt quadrupedia animalia, quae ova ponunt, e quibus pulli vel tempore matris incubantis, vel solis calore excluduntur. Ovipara haec quadrupedia amphibii annumerantur, eorumque alia pedes habent brevissimos, ita ut lentissime ambulent, quales sunt testudines; alia habent longiores et celerius ambulant, e quo genere sunt lacertae; alia pedes habent pro reliqua corporis mensura longissimos, et posteriores anterioribus longiores, quo fit, ut salire possint, cujus generis sunt ranae.

2. Quadrupedum pars longe maxima vivos pullos parit, et in mammosorum numero habetur. In his omnibus similis est structura partium et viscerum, quibus ad vitam sustentandam utuntur.

3. Plurima quadrupedia (*) dentes habent pro varietate ciborum, quibus aluntur, di-

(*) *Łatwo tu poznać można iż nazwisko to oznacza tutaj, stosownie do dawnego podziału, osobliwie zwierzęta ssące, na lądzie mieszkające.*

versos. Carnivora acutos habent dentes, quibus praedam discerpere possint. Cibos deglutiunt in ventriculum, qui eos concoquit. Inde in visceribus chylus conficitur, qui in venas transit, atque ita cum sanguine commistus nutriendo corpori inservit. Retrimenta cibi per alvum ejiciuntur.

4. Quadrupedia pro varia corporis forma variis armis instructa sunt, quibus se suosque tueri possint. Boves cornibus feriunt, equi calcibus pedum posteriorum. Elephantus rostro ac dentibus duobus longis prominentibus pugnat. Rostro proster nit hostem, dentibus configit, ac pedibus conterit. Quae vero mobiles ungues habent, ut leones, tigres, feles, his unguibus utuntur ad comprehendendam praedam; captam unguibus dilaniant, ac dentibus discerpunt. Canes, vulpes, lupi, et alia ejusdem generis animalia dentibus mordent, hisque solis fere, ad hostes propulsandos, aut ad praedam capiendam utuntur. Simiae dentibus et unguibus pugnant. Pedibus etiam anterioribus, quibus pro manibus utuntur, lapides aliaque tela in hostes jaciunt. Quae corpora habent aculeis praedita, ea in globi seu pilae formam se contrahunt, ne laedi possint.

5. Nullum est quadrupes, quod non aliquam homini utilitatem praebeat. Tigri-

des, lynces, ursi, alces, castor, vulpes aliaque multa pelles nobis suppeditant. Nonnullis canum generibus utimur ad persequendos cervos, capreolos, lepores, quibus vescimur. Aliis utimur ad nostram custodiam, vel oblectationem. Equus, elephas, camelus ad onera portanda nati videntur; itemque taurus, ut subdat collum jugo; vacca ut lac, ovis ut lanam praestet.

6. Non in omnibus regionibus omnia quadrupedum genera reperiuntur, sed genus unumquodque eam potissimum incolit terrae partem, quae alimenta, quibus illud utitur, abundantiora aut meliora suggerit. Sic simiae, elephantes, rhinocerotes, calidas incolunt regiones; tarandis contra glaciale Lapponiae regionem natura assignavit. Cameli arena ferventiaque amant deserta. Boves planitiae, caprae praeruptis montibus, equi silvis apprime delectantur, et similis est aliorum indoles.

7. Nullum quadrupedum genus adeo ferox est, quin vehementer amet prolem suam eamque defendat. Omnia suo eam lacte nutriunt, donec venter solidiora recipere alimenta valeat. Quamdiu proles est tenera, diligenter eam custodiunt, et si forte periclitatur, omni modo ab insidiis atque vi tuentur.

5. Małpa.

1. Simiarum genera caudis inter se distinguuntur: aliae enim caudas habent, aliae iis carent. Quae non habent, ea genera hominis figurae simillima sunt. Utrumque tamen genus penè perfectam hominis imitationem refert facie, naribus, auribus, palpebris 1), quas solae quadrupedum etiam in inferiore habent gena 2). Porro mammas in pectore habent et brachia, in manibus ungues, digitos, longioremque medium digitum. Pedibus paullum differunt. Sunt enim ut manus, praelongi, et vestigium palmae 3) simile faciunt. Pollex quoque his et articuli ut homini; viscera etiam interiora omnia ad exemplar hominis. Erectae 4) ambulare possunt, posterioribus pedibus nixae 5), anterioribusque pedibus, ut homines manibus, ad varia ministeria utuntur. Mira iis solertia est. Omnia fere, quae homines agere viderunt, imitantur. Visae sunt simiae, quae, quam conspexissent aliquem barbam sibi tondentem, arrepto 6) cultro tonsorio jugulum sibi incidere.

1) *Mrugawki* czyli rzęsy. 2) *powieka*. 3) *dłoń*. 4) *erigere*. 5) *niti*. 6) *arripere*.

2) Atque hoc ipso imitandi studio capi solent simiae. Nam venatores eas plerum-

quae hac ratione fallunt. In conspectu earum aqua se perungunt, postea vasculum visco plenum aquae loco reponunt. Quo quum oculos et ora peruxerunt simiae, facile capiuntur. Decipiuntur et alio modo, quum venatorum calceis, dedita opera 1) relictis 2) sese impediunt.

1) *umyślnie*. 2) *relinquere*.

3) Nullum est animal, quod tam impense amet foetus suos, quam simia; saepius ipso complexu eos necat. In fuga alterum catulum prioribus membris recipit, alterum portat in dorso. Quem in dorsum excipit, minus amat: sed quum, urgente necessitate, vix potest effugere, illum quem manibus tenet, abicere cogitur; alter minus dilectus, qui dorso insidet, cum matre salvus et incolumis evadit.

4. Ceterum quamquam simiae multis rebus hominibus similes sunt, ratione tamen humana carent. Nunquam loqui discunt, et ita fere se gerunt, ut bruta esse animalia facile agnoscas. Velut in America simiae ubi vident homines struem lignorum incendere, et ad ignem ut calefiant, sedere, ipsae quoque, postquam homines abisse senserunt, accedunt ad ignem et calore delectantur, nulli tamen in mentem venit, ligna af-

ferre, quae ignem nutriant; sed ubi extinctum viderint, abeunt.

5. Plurima simiarum genera in Asia atque Africa inveniuntur. Silvas incolunt, in iisque sociae vivunt. Aluntur praecipue fructibus ac foliis. Vescuntur etiam frumento, imprimis oryza, milio aliisque frugibus atque oleribus 1). Amant aliae avium ova, aliae cochleas atque ostreas. Venatio earum saepe admodum difficilis est. Sauciae quoque saepe manu vel cauda ramis arborum ita inhaerent, ut ne mortuae quidem decidant. Neque raro in venatorem impetum faciunt, qui, si potest, periculi vitandi causa in aquam se recipit, quo eum non insectantur. Capta tamen femella, proles facile capitur atque mansuescit. Mansuetae variis cibis praeparatis, imprimis etiam saccaro, pulve 2) ac jusculis nutriuntur. Vescuntur sedentas. Escam manibus capiunt ac discerpunt, orique admovent. Potio illis est aqua; utuntur tamen etiam lacte, cerevisia, vino dulci. Agilis earum in scandendo et saltando velocitas incredibilis est. Indi illis vesci solent.

1) olus. 2) puls.

6. Pies.

1. Ex his quoque animalibus, quae nobiscum vitam degunt, multa sunt cognitu digna, fide-

lissimusque ante omnia homini, canis atque equus. Pugnasse adversus latrones cauem pro domino accepimus 1), confectumque 2) plagis a corpore non recessisse 3), volucres et feras abigentem. Ab alio in Epipro agnitus 4) est in conventu percussor domini, laniatuque et lustratu coactus 5) fateri scelus. Propter bella olim Colophonii itemque Castabalenses cohortes canum habuere; haec primae dimicabant in acie nunquam detrectantes: haec erant fidelissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Saepius canis, domino mortuo aut interfecto 6), cibum capere noluit, inediaque consumtus 7) est. Accenso 8) regis Lysimachi rogo, canis illius iniecit 9) se flammae: similiterque Hieronis regis.

1) accipere. 2) conficere. 3) recedere. 4) agnoscere. 5) cogere. 6) interficere. 7) consumere. 8) accendere. 9) iniicere.

2. Soli canes semper dominum novere, et ignotum 1) quoque dominum, si repente veniat, intelligunt, gaudiumque multis modis declarant adveniendi. Soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt. Itinera quamvis longa meminere, nec ulli praeter hominem memoria major est.

5. Certum est, canes juxta Nilum amnem currentes lambere, ne crocodilorum avidi-

tati occasionem praebeant. Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniae dono dederat canem inusitatae magnitudinis, cujus specie delectuatus Alexander jussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti; sed immobilis semper jacuit 1) canis. Hac segnitie tanti corporis offensus 2) imperator generosi spiritus eum interimiri jussit. Nunciavit hoc fama regi Albaniae. Itaque alterum mittens addidit mandatum, ne in parvis eum experiri vellet, sed in leone elephantove. Duos sibi fuisse: hoc interempto 3) praeterea nullum fore. Non distulit 4) Alexander, leonemque fractum 5) protinus vidit. Postea elephantum jussit induci, haud alio magis spectaculo laetatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonuit: mox increvit 6) animus assultavitque contra belluam exurgens hinc et illinc, artificii dimicatione infestans atque evitans, donec afflixit 7), ad casum ejus tellure concussa 8).

1) jacere. 2) offendere. 3) interimere. 4) differre. 5) frangere. 6) increcere. 7) affligere. 8) concutere.

4. Bis plerumque uno anno copiosam prolem edituntur canes. Gignunt autem catulos oaecos, et quo largiore aluntur lacte, eo tardiorum visum accipiunt, nunquam tamen ultra vicesimum primum diem, nec ante septimum. Rabies canum,

cui diebus inprimis canicularibus obnoxii sunt, homini pestifera est. Solet ex morso canis rabiosi aquae timor 1) nasci, miserimum genus morbi, in quo aeger simul siti et aquae metu cruciatur; hoc morbo oppressis 2) exigua spes est. Remedii tamen esse dicunt, nec opinantem in piscinam, quam non providerat, projicere.

1) wściekliwość. 2) opprimere.

5. Vivunt canes plerumque ultra quindecim annos; nisi rabie correpti 1), aut alio casu oppressi, pereant. Rabies si canem invaserit 2), ne domino quidem parcat; quare extemplo ejusmodi canis interficiendus est.

1) corripere. 2) invadere.

6. Canum permulta sunt genera. Utilissimi tamen venatici, pastorales seu pecuarii, et villatici 1). Villae custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus, ut et conspectu maleficum terreat, et nonnunquam, ne visus 2) quidem horribili fremitu suo fuget furem insidiantem. Sit autem coloris unius, isque magis eligatur albus in pastorali, niger in villatico; nam varius in neutro est laudabilis. Pastor album probat, quoniam est ferae dissimilis, magnoque opus interdum discrimine est, in propulsandis lupis sub obscuro mane vel etiam crepusculo, ne, si non sit albo colore conspicuus, pro lupo canem feriat. Vil-

laticus, qui hominum maleficiis opponitur, terribilior, si niger est, conspicitur; et nocte ne conspicitur quidem, ut tectus 3) tenebrit tutius accedere possit ad insidiantem. Mores canis villatici sint neque mitissimi, neque rursus truces atque crudelēs. Nam illi furem quoque adulantur, hi etiam domesticos invadunt. Satis est, se veros esse nec blandos, ut nonnunquam etiam domesticos iratus intueantur, semper excandescant in exteros. Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei. Nec multum refert, an villatici corporibus graves et parum veloces sint; plus enim cominus quam eminus facere debent. Pecuarius canis neque tam strigosus aut pernix debet esse, quam qui damas cervosque et velocissima sectatur animalia, nec tam obesus aut gravis, quam villae horreique custos: sed et robustus nihilominus, et aliquatenus promptus ac strenuus, quoniam et ad rixam et ad pugnam nec minus ad cursum comparatur, quum et lupi repellere insidias, et raptorem ferum consequi fugientem, praedamque excutere atque auferre debeat.

1) *Pies wieyski.* 2) videre. 3) tegere.

7. Ceterum multae canis virtutes sunt. Ejus fidei si villa aut domus creditur: quis hominum clarius, aut tanta vociferatione

bestiam vel furem praedicat; quam iste latratu? Qui famulus amantior domini? quis fidelior comes? qui custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior? Quare inprimis hoc animal parare sibi tue-rique debet agricola, quod et villam et fructus, familiamque et pecora custodit. Ejus autem parandi triplex ratio est. Namque unum genus adversus hominum insidias eligitur, et id villam, quaeque juncta sunt villae, custodit. At alterum propellendis injuriis hominum ac ferarum inservit; et id observat domi stabulum, foris pecora pascentia. Tertium venandi gratia comparatur. In venatu enim praecipua ajus cernitur solertia et sagacitas.

8. Nominibus non longissimis nominandi sunt canes, quo celerius quisque vocatus exaudiat, nec tamen brevioribus, quam quae duabus syllabis enuntientur, sicut latinum est *ferox*, et *celer*.

7. Tygrys.

Tygris bellua est saevissima, indomitaeque et perniciosissima. Specie simillima est feli, statura asinum fere aequat. In calidissimis Asiae regionibus nascitur, nec adeo frequens est. Omnium animalium sanguinem sitit, omnibusque insidiatur calli-

dissime. Unguibus robustis et rapacibus armata est. Pellem habet maculosam vel potius virgatam, quae magni aestimatur. Saliendi et scandendi magna ei solertia est, ut etiam in arbores enitatur. Maribus non est cura sobolis, feminis vero maxima. Quare saevissimae sunt fetu erepto. Adoritur tigris sine discrimine homines, leones aliasque bestias; elephanto succumbit. Multum abest a generositate leonis; rarissime mansuescit.

8. Lampart.

Leopardus in Africa praecipue nascitur. Flavens ejus plurimisque maculis minoribus distincta pellis, pulcherrima est. Tigri nec robore, nec rapacitate cedit, rarius tamen quam illa homines adoritur.

9. R y ś.

Pardus quoque vel Panthera Africam incolit. Major est leopardo; sed huic indole vitaeque ratione similis. Pellis ejus majoribus passimque confluentibus maculis picta minusque pulchra est, quam leopardi. Statura vitulam aequat. Ut tigris in Asia, sic in Africa pardus totas vastare solet regiones. Eadem illi saevitia, idem robur. Multo tamen rarius quam tigris homines

invadit, nec nisi fame coactus: Minus itaque eum timent Aethiopes quam leopardum.

10. Ostrowidz,

Linx omnium quadrupedum acerrime cernit. Habitat in locis desertis et montanis. Feli admodum similis est, differt tamen ab ea non solum statura, sed etiam cauda breviate. Pellis ejus est rubicunda et pulchris maculis distincta. In conspectam ex insidiis bestiam, etiam ipsa majorem, summa celeritate irruit, unguibusque tenacissimeprehendit, nec dimittit, donec illa exspiraverit. Sanguine praecipue et cerebro animalium delectatur.

Omnes hae ferae, tigris, leopardus, panthera, lynx, leo quoque felium generi annumerantur. Sed in Europa praeter lynx, quae ipsa quoque rarius invenitur, non nascuntur.

11. Lew.

1. Leo fortissima omnium bestiarum est. Speciem habet decoram, vultum trucem, saevum et generosum. Incessus est superbus, vox horribilis, impetus violentus ac furens, color fulvus, caput magnum ac jubaratum; pilis longioribus circum tempora, scapulas, armos et pectus dependentibus.

Leaena tamen jubam non habet. Pars posterior corporis pilis brevissimis tegitur, ut cum anteriori parte comparata fere nuda esse videatur. Cauda leonis est longa et robusta.

2. In leone cauda est animi index, sicut in equo aures, immota ergo cauda placidus est, clemens, blandientique similis, quod rarum tamen: crebrior enim in eo iracundia est. Ejus in principio terram verberat, increscente ira terga flagellat. Vis summa in pectore; firmitas in capite praecipua.

3. Leonum generositas in periculis maxime cernitur. Tela spernens diu se solo terrore tuetur. Quamlibet magna canum et venatorum vi urgente, in campis, locisque ubi spectari potest contemtim restitansque recedit, idem, ubi virgulta silvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut turpitudinem locus absconderet. Dum sequitur feram, insilit saltu, quo in fuga non utitur. Vulneratus percussorem nosse, et in quantalibet multitudine appetere dicitur, eum vero qui telum quidem miserit, sed non vulneraverit, correptum 1) retentumque sternere, nec tamen vulnerare. Quum leaena foeta pro catulis dimicat, oculorum aciem fertur in terram defigere, ne venabula expavescat. Ceterum non sunt dolosi neque suspicaces: nec limis intuentur oculis,

adspici-

adspicique simili modo nolunt. Satiatus, nec lacesitus, plane innoxius est leo, nec nisi fame coactus 2) hominem invadit. Ignem fugit, non ut olim creditum est, gallorum gallinaeorum cantum.

1) corripere. 2) cogere.

4. Leo famelicus quaecunque occurrunt animalia, adoritur. Sed quum eum omnia reformident et fugiant, saepe ex insidiis et latebris impetum facere cogitur. Plerumque in loco arbutis consito pronus cubat, indeque in praetereuntes feras adeo violenter prosilit, ut uno eas saltu plerumque comprehendat. In silvis et desertis dorcades potissimum et simias venatur. Robustis dentibus facile ossa confringit, eaque una cum carnibus deglutit.

5. Multi et olim et nostra aetate leones mansuefacti 1) sunt. M. Antonius jugo eos subdidit 2), primusque Romae ad currum junxit 3). Nec tamen unquam leoni, etsi mitissimus videatur, plane fidendum est. Simulatque enim sanguinem degustarit, illico in rabiem vertitur: habet autem aculeatum limaeque similem linguam, qua, ubi quem lambit, primum cutis abscedit, deinde sanguis sequitur.

1) mensuefacere. 2) subdere, 3) jungere.

6. Leones in Asia et Africa reperiuntur. Fortiores tamen Africani Asiaticis sunt et frequentiores.

12. K o ů.

1. Omnium animalium, quae homines mansuefecerunt, sine dubio equus generosissimus et utilissimus est, quum et ad rem militarem idonei sint equi, et ad vecturam, et ad cursuram, et ad agrum colendum adhibeantur.

2. Ferum olim genus omne fuit equorum, et feri adhuc inveniuntur in quibusdam orbis terrarum partibus. Hi gregalium campis inerrant, et quia frugibus, non carnibus vescuntur, cum nullo bestiarum genere bellum gerunt, nisi lacessiti. Lacessiti autem hostes aut spernunt, aut fugant, aut occidunt. Irruente fera in gyrum coeunt, capitibus introrsum directis 1), calcibus autem hosti oppositi 2); atque ita oculis per intervalla pedum contuentes advenientem feram tam vehementer calcibus impetunt, ut facile periculum propulsent.

1) dirigere. 2) opponere.

3. Postquam vero hominum juga ac frena receperunt 1) equi, ad varia ministeria condoceruntur 2), tam multiplicem dominis usum praebent, ut, si subito ex rerum

natura tollerentur, ingens rei familiaris detrimentum, fortunarumque et commoditatum summam imminutionem passuri 3) essent mortales.

1) recipere. 2) condocerere. 3) pati.

4. Equi Arabici, Africani, Hispanici, Neapolitani et Britannici, qui in primis velocitate excellunt, ad equitandum maxime idonei sunt. Frisia et Dania praestantissimos equos rhedarios produunt. Gentes nonnullae et carne et lacte equorum vescuntur. Pilis et corio multi utuntur artifices.

13. Wielbląd.

1. Camelus altitudine corporis proceritateque colli et tubere in dorso insignis, utilissimum orientis gentibus animal est. Jumentorum ministeriis funguntur cameli, et gravissima onera portant. Duo eorum genera sunt, alterum uno, alterum duobus in dorso tuberibus instructum, quod genus rarius est atque velocius. Habent praeterea et in pectore et in pedibus tubera minima, quibus incumbunt. Defatigatus enim camelus vires recipit, in pectus se inclinans. Celeriter progreditur, brevique tempore longum iter absolvit. Huic mansuetudo quaedam a natura ipsa insita videtur, quam

quam et interdum rabiem sumit, quo tempore in ipsum saevit rectorem. Musica et cantu tibiisque delectari camelum dicunt. Quare Arabes (hi enim inprimis eo utuntur) aures ejus, dum peregre proficiscuntur, cantu demulcent.

2. Summa camelorum utilitas est in longis itineribus per Asiae Africaeque arena deserti, non solum, quod famem diu tolerant, et, sicut asini, vili pascuntur pabulo, foliis, carduis, atque virgultis spinosis, quorum ubiuis magna copia est, sed sitim etiam quadriduo, imo ad novem usque dies tolerant, et quam bibendi copia fit, in longum tempus implentur, ingentem aquae copiam deglutientes, cujus partem in quibusdam ventriculi cellis servant; quare interdum iter facientes Arabes urgente necessitate, camelum mactant, ut aqua illa sitim restinguant. Ex terris borealibus exsulant cameli. Odium adversus equos naturale gerere dicuntur. Verno tempore depiles fere fiunt; qui exciderunt pili camelini, texturae varii generis inserviunt. Qui tamen vulgo dicuntur pili camelini, non a camelo proficiscuntur, sed a capra Ancyrana.

14. S I O R I.

1. Maximum e terrestribus animal est elephas proximumque humanis sensibus.

Est enim illis quidam intellectus sermonis humani et imperiorum obedientia; officiorumque, quae didicere 1), memoria, amoris et gloriae voluptas; immo vero (quae etiam in homine rara) prudentia, aequitas. Quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua submitunt, coronas porrigunt. Minores Indis etiam olim arabant. Romae curram Pompeji Magni triumphantis juncti 2) traxere 3). Quin etiam docebantur Romae elephanti per funes incedere; lecticis etiam ferebant quaterni singulos; eorumque unus tardioris ingenii in accipiendis, quae tradebantur, saepius castigatus verberibus, eadem illa meditans noctu repertus est.

1) Discere. 2) jungere, zaprzęzone. 3) trahere.

2. Elephanti gregatim semper ingrediuntur. Amnem transituri minimos praemittere dicuntur, ne majorum ingressu crescat gurgitis altitudo.

3. Adultus elephas ad quindecim pedes altus est. Vastum ejus corpus, rudis et incondita moles esse videtur; et mirum sane est, in tanta mole tantam inesse docilitatem, agilitatemque. Crasso in capite oculos habet minutos snillis similes, aures magnas, in utraque oris parte quatuor dentes, quibus cibos mandit; duo autem alii ingentis magnitudinis et ponderis ante os longe pro-

minent cornibus similes. Hos interdum dejicit, idque ebur est; unde magnum his dentibus est pretium.

4. Hos inter dentes proboscis extat longissima maximeque flexilis. Nihil magis mirandum in elephanto quam haec proboscis, qua spirat, olfacit, aquam haurit, pabulum arripit, orique inserit, qua denique pugnat, et, ut manu, ad multa utitur ministeria. Nodos hujus adminiculo solvit, nummos e terra tollit, flosculos decerpit. Proboscide sauciata aut detruncata, ipsum perire necesse est. Pedes truncis ingentibus similes, articulis tamen non carent.

5. Rugosum et durissimum dorso tergo, adeo ut nec gladio, nec telo facile vulnerari possit, ventri molle: setarum aut villorum nullum habet tegumentum. Nihilominus muscarum aliorumque insectorum punctiones sentit. Color plerumque canus; rutili elephantis rari, at albis nihil rarius. Cerebrum pro corporis mole exiguum. Memoria prae ceteris bestiis pollent. Multo eis opus est cibo; singuli consumunt, quantum triginta satis est hominibus. Insigne vero providentiae divinae documentum est, quod tantae molis animal carnibus non vescitur, nec vivit ex praeda, sed contentum est herbis, quarum infinita est copia. Vescitur praeterea arborum foliis, frondibus, oryza, gramine.

6. Gaudent annibus maxime et circa fluvios vagantur, nare autem propter molem corporis non solent. Iidem frigoris impatientes sunt; quo fit, ut in Europam adducti brevi moriantur, quum in patria ducentos annos et diutius vivere dicantur. Nascuntur autem in media Africa et in Asia australi. Majores tamen et fortiores Asiatici sunt. Indicum Afri timent, nec conteri audent. Variis modis, maxime tamen foveis virgulto obtectis capiuntur. Domantur fame et verberibus; capti paulatim adeo mansuescunt, ut cibum e manu rectoris capiant, venientem etiam proboscide complectantur. Insidias minoribus animalibus non struunt, sed secuta juxta sedem suam versari patiuntur, neminique omnino, nisi lacessiti, nocent. Murem metunt, ne in proboscidem irrepant.

7. Olim elephantis ad bellum utebantur; turres cum militibus tergo imponebant, aut latera falcibus armabant, et in hostium exercitum compellebant. Tum illi prosternebant acies, armatos proterebant, at vulnerati et territi saepe haud minorem suis partibus perniciem afferentes retrocedebant. Invento pulvere nitrato 1) bellicus eorum usus exolevit, ignem enim refugiunt. Magna tamen eorum utilitas est in gestandis gravissimis ponderibus. Incedunt enim celeriter atque tutissime. Homini obvio aut

via decedunt aut rostro eum leniter remouent. Nec habena, nec freno reguntur, sed unco ferreo, quo rector eos, cervici insidens, pungit, et, quocumque ire voluerit, impellit. Magnam praeterea ebore suppeditando utilitatem afferunt, quo multi artifices aegre carerent, quanquam belluarum etiam quarundam marinarum, aliorumque animalium dentes eodem modo tractantur. Caro etiam elephantum non mali saporis est.

1) *Prock strzelniczy.*

15. Bydło rogate.

Pauca sunt animalia, quae aequè magnum ac boves homini usum praestent. Et curru et aratro iunguntur, oneribus tamen gestandis non sunt idonei. Quam eorum opera satis usi sumus, saginantur, et atiles mactantur. Laudantur imprimis Hungariae Podoliaeque boves atiles. Hungari et Poloni quotannis multa bouum millia ad exteros mittunt. Nulla huius animalis pars est, ex qua non aliquam utilitatem homo capiat. Vescimur ejus carne et lacte; ex lacte conficimus butyrum et caseum; ex pelle coria atque membranas: ex sevo candelas et saponem: ex cornibus pectines, pyxides, laternas, multaque alia; pilis muniuntur ephippia et sedilia.— Bovini generis est etiam urus, unde originem domestici bo-

ves traxisse creduntur, item bubalus, qui et ipse cicuratur. Multa hominum millia solis bouum armentis vitam sustentant, ut merito felices aestimandae sint terrae hoc genere abundantes.

16. J e l e ŋ.

Cervum omnia commendant; excelsum caput, ramosis ornatum cornibus, crurum tenuitas, ipsaque cum mira corporis agilitate conjuncta timiditas. Matris magna in fovendo fetu cura est. Ut primum adolescent, lateri matris affixi 1), eandem et nutricem et magistram habent, tusissima fugae loca edocentem, herbarumque, quibus pascantur, natale solum perite monstrantem. Longa cervorum vita, qui vel centum annos vivere olim putabantur, fabula est. Raro enim ultra triginta annos vivunt. Facile mansuescunt, si teneri ex saltibus auferuntur. Una tunc cum grege ad pastum exeunt, una revertuntur. Equorum etiam ministeria obeunt. In cursu certamine pernicitate vincunt equorum acerrimos. Cornua quotannis mutant, itemque pilos, quod idem omnes silvestres ferae sub finem hiemis faciunt. Cervae carent ramosis cornibus: his soli mares instructi 2) sunt: idem de capreolo dicendum, qui cervo minor est et cornibus inferior, quae non, ut ille Fe-

bruario mense, sed autumno dejicit. Cervorum generi annumerantur dama, tarandus, alces. Tergus eorum, cornua, caro, adeps, unguulae varium in communi vitam usum habent.

1) affigere. 2) instruere,

17. R e n.

Tarandus cervo minor, septentrionalibus terrae partibus, imprimis Lapponiae, proprius est. Gramine vescitur, musco, foliisque arborum; brumali autem tempore sub nivibus victum eruere solet. Lapponum opes ex tarandarum, quot quisque habet, copia aestimantur. Multiplicem illis usum hoc animal praestat. Quum enim facile mansuescant tarandi, crebrioribus Lapponum, qui sedem stabilem non habent, migrationibus apprime inserviunt. Aestate tarandis onera imponuntur: iidem ubi bruma recurrit, trahis junguntur. Hac ratione longissimum iter brevi tempore tuto celeriterque absolvi potest. Eorum carne, cruore, lacte, ex quo et caseos conficiunt, vescuntur Lappones. E pellibus vestimenta, tentoria, lecti et id genus alia parantur. Ex ossibus quoque varia conficiuntur utensilia.

18. Nosorożec.

Rhinoceros eandem, quam elephas, patriam habet, eique corpore, victu, vitaeque ratione admodum similis est, ingenio longissime cedit. Est enim prorsus indocilis. Longidine et crassitie aequat elephantem, proceritate superatur. Cornu naso affixum 1) saepe tres pedes longum est. Homines non nisi lacessitus 2) adurit. Irritatus cornu vulnerat hostem: Eodem cum elephanto pugnans utitur, ejusque ventrem dilaniat. Raro tamen hunc vincit. Corium ejus est depile, cinereum, rugisque ita contractum 3), ut paene squamis ac thoracibus obductum 4) esse videatur.

1) affigere. 2) lacessere. 3) contrahere. 4) obducere.

19. Krokodyl i Koń rzeczny.

1. Crocodilum Nilus, Aegypti fluvius, habet, quadrupes, malum et terra pariter ac flumine infestum. Unum hoc animal terrestre linguae usu caret; nam etsi in faucibus carnem quandam habet linguae similem, eam tamen exserere non potest. Superiore maxilla, quae mobilis est, mordet. Magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita. Parit ova, quanta auferes: nec aliud animal ex minore origine in ma-

jorem crescit magnitudinem. Unguibus armatus est, cuteque ad omnes ictus invicta. Dies in terra agit, noctes in aqua. Crocodilum somno pressum 1) conspicatus Ichneumon, per f uces ut talum aliquod immisus 2) alvum erodit. Idem ova crocodilorum investigat et exsorbet. Homines quoque ova haec, sub arena plerumque defossa 3), sedulo quaerunt. In ventre mollis est crocodilo tenuisque cutis. Terribilis haec bellua est fugacibus, insequentibus fugax: sed pauci adversum ire audent. Hebetes oculos habere dicitur in aqua, extra aquam acerrimi visus, quatuorque menses hiemis inedia in specu transmittere. Quidam hoc unum animal, quamdiu vivat, crescere arbitrantur; vivit autem longo tempore.

1) premere. 2) immittere. 3) defodere.

2. Formam habet lacertae similem, pedes quatuor, caudam, nudumque corpus. Oculi ejus parvi sunt. Quidquid propius accessit 1), unguibus ejus anterioribus arreptum 2) dilaniatur; quae longius absunt, caudae vi prosternuntur. Crocodili non solum in Nilo Aegypti, sed omnino in majoribus Asiae, Africae et Americae fluminibus inveniuntur.

1) accedere. 2) arripere.

3. Major altitudine bellua, hippopotamus, in eodem Nilo nascitur: unguibus bifidis, quales bobus sunt; dorso equi et juba, hinnitu, rostro resimo, cauda et dentibus aprorum aduncis, sed minus noxiis. Depascitur segetes. Corii tanta crassitudo est, ut hastae inde torrentur.

20. B ó b r.

Fiber vel Castor pellem habet pretiosissimam. Ex pilis conficiuntur panni et pilei. Quatuor magnis dentibus incisoribus, iisque acutissimis animal hoc praeditum est. Cauda squamis obducta est. Uterque sexus sub cauda habet folliculos quosdam, liquorem pinguem exsudantes, qui castoreum vocatur et medicinae inservit. Inter bestias castor architectus est ingeniosissimus. Domicilia enim tam incredibili arte sibi construunt, ut hominum potius sedes, quam brutorum esse videantur. In flumine plerumque aedificant. Ibi aggerem ex lignis et argilla duodecim pedes latum pro fundamento ponunt, cui primam aedium contignationem, fluvio non altiorem, superstruunt. Tam alteram tertiamque imponunt, in quibus octo vel decem fibri una habitent. Ex media contignatione in inferiorem per foramen, quoties lavatum eunt, descendunt, in superiorem vero ascendunt tum, quum

aqua praeter modum crescit. Totum hoc aedificium admirabili arte compositum 1) duodecim plerumque pedes latum, decem vero altum reperitur. Instrumenta, quibus in hoc opere utuntur, partim dentes sunt, quibus arbores dissecant, partim pedes, quibus argillam eruunt deponuntque, partim cauda, qua non solum advehunt argillam, sed etiam tanquam trulla palis utrinque injiciunt et allinunt. Autumnus et hiemem in his aedificiis consumunt, vivuntque foliis atque corticibus arborum, inter aedificandum collectis 2) et in inferiorem contiguatione congestis 3). Instante vere domiciliis excedunt et in silvis degunt. Plurimi fibri in America septemtrionali inveniuntur.

1) componere. 2) colligere. 3) congerere.

21. P t a k i.

1. Aves a quadrupedibus pedum numero alis, rostro, plumis, voce et generatione differunt.

2. Omnes aves bipedes sunt; pedum tamen multiplex est varietas, prout aut duos, aut tres, aut quatuor digitos habent, qui aut disjuncti sunt, aut cute quadam conjuncti.

3. Binae omnibus avibus alae sunt, quarum remigio omnes, praeter unum struthiocamelum volant. Plumae caloris et

vestitus causa iis datae sunt. Feruntur autem aves vario meatu, et in terra et in aëre. Ambulant nonnullae, ut cornices, saliunt, aliae, ut passerres, merulae; currunt, ut perdices, rusticulae.

4. Rostra quibus cibum capiunt aves, breviora habent et adunca: aliae longiora et leviter obunca; aliae longiora et serrata; aliae acuta et longiora; aliae in coniformam exeuntia; aliae brevia et recta. Granis aliae vescuntur, aliae carnibus. Graviores omnes frugibus, altivolae carne vescuntur.

5. Ut pilis quadrupedia, ita aves plumis adversus frigus et pluviam muniuntur. In plumarum coloribus insignis est varietas. Sunt niveae, ut oloribus: sunt atrae, ut corvis: sunt versicolores et auro fulgentes, ut pavonibus; et aliae caeruleas, aliae rubras, aliae flavas, aliae virides, aliae mixtas variis coloribus pennas habent.

6. Quum vox animalium quadrupedum incondita sit, aves contra multae cantu aures mulcent, omniumque voces, etiamsi cantum non edunt, facile a ceterorum animalium vocibus distinguuntur.

7. Avium nullae vivos pullos, sed omnes ova pariunt, e quibus pulli calore matris incubantis excluduntur. Ovorum alia sunt candida, ut in gallinis, columbis, perdibus; alia pallida, ut in squaticis; alia punctis distincta, ut in meleagridis; alia rubri

coloris, ut in phasianis. Intus autem omne avium ovum bicolor est.

8. Omnes aves construunt nidos, eosque mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur, et pulli exclusi molliter recubent. Nidos varie e juncis aut ramusculis, aut gramine, aut foeno, aut musco construunt; quaedam, ut hirundines, ex arena et luto. Intrinsicus aut lana aut pluma insternunt. Materiam ubique quaerunt. Saepè visa est hirundo in ovem involans, ut floccum lanæ rostro deriperet. Interdum quam copia non est mollis materiae, sibi plumas e pectore eripiunt. Ceterum singula genera proprio modo nidificant, estque in constructione nidorum admirabilis varietas; majus tamen est in minorum avium, quam in majorum nidis artificium.

22. Struthi.

1. Struthiocamelus maxima est avium. Volare non potest, partim ob molem corporis, partim quod pennas non ad volandum commodas, sed pilis similes habet. Ad hoc tantum datae sunt pennae, ut currentes adjuvent; neque quidquam cursu eorum velocius est. Ungulae quibus dimicant, cervinis sunt similes, bisulcae, et comprehendendis aptae lapidibus, quos in fuga contra sequentes pedibus ingerunt. Lon-

gus

gus est septem pedes struthiocamelus. Moles corporis ad septuaginta quinque pondo. Rostrum habet rectum, cujus acumen leviter inflectitur ad unci similitudinem. Collum est perlongum, pedes alti. Altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatemque vincunt. Capitis figura, colli longitudine, et gibbere dorsi camelis similes sunt.

2. Struthiocamelus omnia sine delectu vorat et concoquit. Nam etsi plerumque dactylis et granis vescitur; tamen lapides quoque, lignum, vitrum, ferrum, plumbum, et quidquid ejus generis oblatum fuerit, deglutit. Patria avis hujus est Africa, et Asiae pars ea, quae Africae adjacet. In Africa multi cicurantur adeo, ut etiam greges eorum incolae habeant.

3. Pennae struthiocamelorum in dorso sunt nigrae, in cauda albae. Hae praecipue deliguntur. His antiquitus jam galeae ornabantur, hodieque pileorum et vestium muliebrum ornamento inserviunt. Hae pennae vivis ereptae longe praestantiores sunt iis, quae mortuis evelluntur: quocirca Afri greges harum avium alere solent. Arabes tamen venantur etiam struthiocamelos. Venandi haec est ratio. Persequendo eos sensim fatigant, et quominus cibum capere possint, impediunt. Ita inedia et

6

cursu fessos repente equis citatis adoriuntur, et consecuti fustibus concidunt, ne sanguis candorem pennarum contamine. Avem hanc collum frutice occultare dicunt, quod ita se latere existimet.

4. Ova pariunt struthiocameli dura et ampla, unde propter amplitudinem vasa conficiuntur argentoque includuntur, ut poculorum vicem expleant. Multa complurium matrum ab uno tamen mare prognata ova in fovea colliguntur, quibus invicem illae incubant. In calidissimis autem regionibus ova in fervente arena posita sine matris incubatione excludi dicuntur: pulli vix exclusi et pedibus valent, et cibum quaerunt. Ubi autem mitior est caloris temperies, ut in Promontorio Bonae Spei, matres pullorum alimenta provident, donec sibi ipsi prospicere possint.

23. Ptaki nocne.

1. Aves nocturnae, quae raptio vivunt, ut noctua, bubo, ulula, unguis aduncos habent. Harum omnium oculi interdium hebetes sunt: Ad lucem crepusculi, item ubi noctu luna fulget, acerrime cernunt. Tum venatum exire solent. Si quando interdium exire coguntur, aut alicubi in arbore ab homine collocantur, nec volare, nec pedem promovere audent; atque tum ceterae aviculae eas

circumvolare, pereuntes, et omnibus modis vexare solent. Illae caecutientes ac stupidis similes, omnes contumelias patiuntur ac perferunt. Ceterum hae aves auditu sunt acerrimo, rostro brevi et adunco, utraque mandibula mobili, unguibus tenacibus; volant, non recto, sed transverso impetu, et quam minimo cum sono, adeo ut propter aurem praetervolantes vix audiantur. Quaedam ejus generis aures plumas eminentes habent; aliae iis carent. Vescuntur cadaveribus et vivis bestiis, lepusculis, muribus, vespertilionibus, aviculis, lacertis, locustis. Hiemem tristes et solitariae consumunt sine pastu et dormientes. Non solum vitae ratione, sed et figura, capite praecipue, felibus similes sunt.

2. Bubo ab aliis avibus nocturnis discernitur immani capite; auribus patulis; longioribus plumis utrinque super oculos eminentibus, rostro brevi, nigro, adunco, oculis magnis, torvis et fulgentibus; pupillis latis, nigris et fulvo orbe ceu annulo circumdatis; plumis in dorso fulvis; sub ventre flavis, quae utrinque nigris maculis distinguuntur; denique diro vocis sono. Bubo primo ad aspectu aquilam corporis magnitudine aequare videtur, revera tamen minor est. Deserta, nec tantum desolata, sed etiam dira et inaccessa loca incolit, ut rupes, turriumque aut arcium excelsarum rui-

nas; raro in planitiem descendit. Venatores bubone utuntur ad vulturem alliciendum, solentque, ut monstrosiorem reddant, caudam ei vulpinam affigere. Vultur novitate monstri commotus et quasi mirabundus dum advolat, aut capitur, aut occiditur.

24. Ptaki drapieżne.

1. Ut bubo, ulula, noctua, noctu tantum evolant ad praedam, sic alia sunt genera avium rapacium, quae interdum venantur; quo referendi sunt accipitres, aquilae, vultures. His omnibus datum est caput grande, lingua lata, crassa et carnosa; robustaque ac torosa crura, quorum unguibus praedam comprehendunt. Et rostrum et ungues habent aduncos acutosque, et ad discernendum, quae ceperint, accommodatos. Acerrimo denique visu praeditae sunt ut e longinquo praedam cernere possint.

2. Accipitrum complura sunt genera, quae distinguuntur ex aviditate. Unum est minus merulae magnitudine, quod habitat in muris et pinibus: venaturque hirundines, alaudas, et perdices. Accipitres non nisi ex terra rapiunt avem; alii circa arbores volitantem, alii sedentem in sublimi, alii in aperto volantem.

3. Falcones ideo potissimum celebrantur, quod iis venatores olim ad venationes

utebantur, singulari artificio ad hoc negotium institutis; quae tamen res dudum in desuetudinem abiit. Falcones acerrimo visu praediti cunct. Rostrum, nervi, tendines et ossa firmissima sunt: ut magnum eis robur insit, etsi pondus minus est, quam pro magnitudine corporis. Non enim carne aut pinguedine abundant. Volatus falconis est celerrimus, Altissime evolat in aërem. Solebant autem venatores longis eum funiculis, quibus pedes constrinxerant, retinere. Praeterea pileo quodam caput et oculos tegebant. Qui simulac demptus erat, celeriter evolabat falco et aves quascunque persequabatur, eas etiam, quas, dum liber vixerat, haud solitus erat appetere. Nidulatur falco in summis rupibus, ex iisque tanquam e specula prospicit lepusculos, cuniculos, perdices, cujus generis animalia venari solet. Ceterum foetorem vehementer aversatur; nec unquam attingit cadavera, sicut vultur.

4. Milvus est ex accipitrum genere. Venatur gallinas, anseres, anates.

5. Aquilarum plura genera sunt. Nidificant in petris et arboribus. Venantur pleurumque hinnulos et lepores. Testudines raptas frangunt e sublimi demittentes, quod idem cornices nucibus faciunt. Quum enim

duritia nucis rostro repugnet, volantes in altum, in saxa tegulasve eam jaciunt semel iterumque, donec quassalam perfringere queant. Id huic fabulae occasionem dedit.

- „ Aquila in sublime sustulit 1) testudinem,
 „ Quae quum abdidisset cornea corpus domo,
 „ Nec ullo pacto laedi posset condita;
 „ Venit per auras cornix et propter volans 2):
 „ Opimam sane praedam rapuisti unguibus,
 „ Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
 „ Gravi nequidquam te lassabis pondere.
 „ Promissa 3) parte, suadet, ut scopulum super
 „ Altis ab astris duram illidat corticem,
 „ Qua comminuta facile vescatur cibo.
 „ Inducta 4) verbis aquilla monitis paruit,
 „ Simul et magistrae large divisit 5) dapem.
 „ Sic tuta quae naturae fuerat munera,
 „ Impar duabus occidit tristi nece.

1) tollere. 2) scil. inquit. 3) promittere. 4) inducere. 5) dividere.

6. Vultures aquilas magnitudine corporis aut aequant, aut superant. Plerumque in exanima corpora seu cadavera involant, hisque pascuntur. Vulturum immanis est voracitas, olfactus accerrimus. Alii sunt nigri, rubicundi alii, alii fusci, alii mistum habent ex albo et nigro colorem.

25. P a v.

Pavonum genus aves omnes reliquas forma superat. Superbus incessus indicat, ipsum pavonem pulchritudinem suam intelligere. Laudis etiam gloriaeque cupidus esse creditur. Laudatus enim gemmantes expedit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiant. Verum autumnii tempore, quo caudam splendentem amisit 1), pudibundus ac merens latebram quaerit. Pedibus tamen tam pulchra avis asperioribus praedita est, quos quoties adspicit, lamentabili voce deflare videtur. Caro ejus dura atque concoctu 2) difficilis habetur. Tamen Romae olim luxuriosi eum occidere solebant cibi gratia.

1) amittere. 2) concoquere.

26. Z ó r a

Grues, quum loca calidiora patentes maria transmigrant, trianguli formam efficiunt. Vix ullo in genere avium tantum ordinis studium, quantum in his animadvertitur. Ducem enim eligunt inter volandum, et quidem illum, qui aetate et experientia reliquis antecellit. Agmen etiam claudunt, qui aetate et calliditate praestant, juniores et minus periti in medio agmine sunt. In tergis praevolantium colla et ca-

pita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit alia ex iis, quae acquirunt 1); eaque vicissitudo in omni cursu servatur. Altissime assurgunt volatu, ut regiones, quas petunt, ex longinquo possint videre. Noctu nonnullae excubias agere dicuntur lapillum pede sustententes, quo, si deciderit, excitentur. Ceterae dormiunt capite subter alam condito 2), alternis pedibus insistentes.

1) aequiescere. 2) condere.

27. Bocian, Gęś, Łabędź.

Ciconiae pullos suos vehementer amant, qui egregium rursus grati animi exemplum praebent, maxima cura et pietate parentes, senio confectos 1) fovendo. Redeuntes eisdem nidos repetunt: Sed quonam e loco veniant, aut quo se referant, incomperum adhuc est. E longinquo venire, non est dubium, eodem quo grues modo. Abiturae in locum certum congregantur, comitataeque sic, ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiva aut serva, ceu lege praedicta 2) die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, quum discessurum 3) appareat: nec venire, sed venisse certimus. Utrumque nocturnis fit temporibus. Et quamvis ultro citroque 4) pervolent, nun-

quam tamen advenisse usquam nisi noctu existimantur. Ciconiis exitio serpentium tantus est honos, ut in Thessalia olim capite fuerit occidisse ciconiam, in eumque eadem legibus poena esset constituta, quae in homicidam. Simili ratione anseres quoque et olores commeant, sed horum volatus cernitur. Cuneatim volant. Collum quisque praecedenti imponit, fessos duces ad terga recipiunt. Olorum cantum laudibus veteres extollebant: quod autem narratur de flebilibus modis 5), quos morientes edunt, id falsum esse constat. Reperitur olor seu cygnus ubivis in septentrionalibus terrae partibus. Vescitur ranis plantisque aquaticis. Facile cicuratur. Ferorum anserum versus septentrionem magna est multitudo. Utilissimum est hoc avium genus plamis pennisque, quibus quotannis bis terve sine detrimento spoliari potest.

1) conficere. 2) praedicere. *właśnie na dniu prawem przepisany*. 3) discedere, *nie widzimy oddalających się, chociaż czyniących przygotowania do tego spostrzegamy*. 4) *tu i owdzie*. 5) *żałosne śpiewanie*.

28. Słowik.

Ut pavo forma, ita cantu excellit lusciniā. Quanta autem vox tam parvo in corpusculo! quam pertinax spiritus! Vernis mensibus per totam fere noctem dulci suo cantu nos delectat. Primis diebus ac noctibus quin-

decim assidue canit: ab eo tempore canit quidem, sed non assidue; deinde tacet. Capta 1) tamen et caveae inclusa 2) diutius canit. Plures singulis sunt cantus, nec iidem omnibus, sed sui cuique. Cessat inter se canendo. Victa, morte finit saepe vitam, spiritu prius deficiente, quam cantu. Hieme non cernitur. Pariunt vere primo, quam plurimum sena ova.

1) capere. 2) includere.

29. Papuga, Sroka, Szpak.

Humanas voces imitantur psittaci. India hanc avem mittit. Salutat, et quae accipit verba pronunciat. Capiti ejus duritia eadem quae rostro. Minor nobilitas, quia non ex longinquo venit, sed expressior 1) loquacitas certo generi Picarum est. Adamant verba, quae loquantur. Constat emori victas difficultate verbi, ac, nisi subinde eadem audiant, memoria falli 2), quaerentesque mirum in modum hilarari, si interrim audierint id verbum. Latior iis est lingua, sicut omnibus avibus, quae sermonem imitantur humanum, inter quas excellit etiam sturnus. Sturni catervatim volant. Adventant praecipue uvis mature-scentibus, quas depopulantur. Ex Europa migrant in Aegyptum.

1) wyraźniejszy wymowa. 2) pamięć utracić.

30. Wieloryb.

Balaenae belluarum maris grandissimae, amplissima sexaginta aut septuaginta pedum longitudo est, cujus tertiam partem caput implet. Olim, quum minus quam nunc illis insidiarentur homines, multo majores et longiores inveniebantur. Capiuntur praecipue circa Groenlandiam et nuperrime etiam circa polum terrae australem. In summo capite spiracula sunt, unde aquam, quum ludunt, aut sanguinem, quum vulnerantur, summa vi summoque strepitu efflant. Rictus duodecim cubita latitudine excedit, gula autem non est admodum ampla. Palatum et fauces contabulata quasi sunt testo, cujus quibgenti conti, quindecim plurimique pedum longitudo numerantur. Feminae non ova parunt, ut qui proprie vocantur pisces, sed animalia viva, quae mammis nutriunt. Caro hujus bestiae dura est et macra: adeps vero magnae crassitudinis inter cutem et carnem, itemque sub labiis deprehenditur, ex quo oleum quoddam pinguis praeparant 2). Vis summa balaeae in cauda est, quatuor interdum ulnas lata, quae magnas nares frangit et evertit. Captura tantae belluae admodum molesta est et periculosa. Jaculis hamatis, longissimo funi annexis 3), e navibus petitur. Jaculis aliquot in corpore fixis, plurimum sanguinis

ex vulneribus emittit, irataque ex capite efflat, ut exsanguis tandem occidat. Tum vero nil nisi festum et adipem sibi sumunt piscatores, quibus rebus multum lucrantur in primis Batavi. Reliqua ursis avibusque permittuntur. Balaenae hostes infestissimos pristes habent. Capiuntur maxime mense Junio atque Julio. Tum magna balaenarum multitudo congregatur, ut facile vel duo millia capi possint.

1) oleum, *to iest tran.* 2) praeparare. 3) annectere.

31. Swinia morska.

Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est delphinus; ecior volucre et telo. Ejus celeritatem nullus effugere piscis posset, nisi natura, ita comparatum esset, ut nonnisi resupinus praedam capere possit. Quo fit, ut pisces spatium habeant evadendi. Rostrum simile porcino habet. Delectari dicitur musica, hominemque amare. Obviam navigiis veniunt delphini, ludunt exsultantes, tantaque vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent. Pariunt catulos, interdum binos: nutriunt uberibus sicut balaenae, atque etiam gestant fetus infantia infirmos. Quin et adultos diu comitantur, magna erga partum caritate. Adolescunt celeriter, decem-

que annis putantur ad summam magnitudinem pervenire.

32. Pszczoły.

1. Apes aut in vetustae arboris cavo aut in alvearibus habitant. In eodem alveo multa millia commorantur. Ex his una, magnitudine reliquis praestans, reginae nomine insignitur. Haec sola in alveo femella, nihil agit nisi ut ovula ponat, ex quibus novum apum examen calore solis excluditur. Quae magnitudine proxime accedunt ad reginam, masculae sunt apes si ve fuci; qui aculeo ipsi carentes, simulac regina satis ovorum peperit, ab operantibus apibus aculeis interfecti ex alveari ejiciuntur, quod plerumque sub finem aestatis fieri solet. Laborantium apum multo major, quam reliquarum, in uno alveo est numerus, qui ad plura millia excrescit. Evagantur ex alveari in prata et campos, mel ex floribus sugentes, colligentesque tenuem inde pulverem, qui iisdem inhaeret. Ex hoc pulvere ceram conficiant; unde sexangulas sibi cellas struunt, in quas ova deponit regina. In vacuis cellis apes operantes mel stipant. Postquam in alveari novum examen cum nova regina procreatum est, recens hic popellus calido die aestivo, duce regina, ex alveari ad novas sedes migrat.

2. Ratio operis apum haec est. Interdum statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una ceteras excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universae prevolant, si dies mitis futurus est. Praedivinant enim ventos imbresque, et se continent tectis. Itaque temperie coeli, quum agmen ad opera processit 1), aliae flores aggerunt pedibus, aliae aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. Quibus est adolescentia, illae ad opera exeunt 2), et supra dicta convehunt; seniores intus operantur. Quae flores comportant, totae onustae remeant. Excipiunt eas ternae aut quaternae, atque exonerant. Sunt enim intus quoque officia divisa 3). Aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum comparant ex eo, quod allatum 4) est. Neque enim separatim vescuntur, ne inaequalitas operis et cibi fiat et temporis. Mira est observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, et puniunt morte. Mira mundities; amoliuntur omnia e medio, nullaeque inter opera spurcitiae jacent, Quin et excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congesta 5) in locum, turbidis diebus et operis otio egerunt 6). Quum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolent, eodem, quo

excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans: et hoc castrorum more 7).

3. Non constat, rex nullumne habeat aculeum, majestate tantum armatus; an dederit 8) eum quidem natura, sed usum ejus illi tantum negaverit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti. Mira plebi 9) circa eum obedientia est. Quum procedit, una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, quum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Procedit foras non nisi migraturo examine. Id multo intelligitur ante aliquod diebus murmure intus strepente. Diem tempestivum eligunt. Si quis alam regi detruncet, non fugiet examen. Quum processere, se quaeque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto 10) portant. Si quae lassata deficit aut forte aberravit, odore persequitur. Ubicumque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt. Duce prehensio 11), totum tenetur agmen: amisso 12) dilabitur, migratque ad alios. Esse utique sine rege non possunt. Invitae autem interimunt, eos, quum plures fuere; tunc fucos abigunt. Certum est, ab apibus fucos interfici. Aculeum apibus

natura dedit ad unum ictum: hoc infixo 13) quidam eas statim emori putant. Est in exemplis 14), equos ab iis occisos 15). Odere foedos odores, proculque fugiunt. Rege peste consumto 16), moeret plebs ignavo dolore 17), non cibos convehit, non procedit; tristi tantum murmure glomeratur circa corpus ejus

- 1) procedere. 2) exire. 3) dividere. 4) afferre. 5) congerere. 6) egerere, *wyrzucić*. 7) *jak w obozie*. 8) dare. 9) plebs, *pszczoty pospolite*. 10) *zupetnie*. 11)prehendere. 12) emittere. 13) infigere. 14) *sa przykłady*. 15) occidere. 16) consumere. 17) *w bezczynnym żalu*.

33. Kwiaty

Mira florum varietas est, quumque ipsae plantae maximam partem usus alimentique gratia in terris gignantur; flores earum nascuntur, ut pulchritudine sua moveant oculos et delectent; utque admoneant homines, quae spectatissime floreat, celerrime marcescere.

Differunt rosae multitudine foliorum, asperitate, laevore, colore, odore. Liliū rosae nobilitate proximum est. Nulli florum excelsitas major. Candor ejus est eximius. Est et rubens liliū, et purpureum. Violarum plures species, purpureae, luteae, albae. Florum ver nunciantium prima est viola.

34. Materyaly roślinne.

Linum in fila ductum et contextum infinitas hominibus commoditates praestat. Linum vile aut impositum stupa vocatur. Cannabis est utilissima funibus, retibus et pannis conficiendis. Rubia tingendis lanis et coriis idonea est.

35. Drzewa.

1. Arborum genera varia sunt; quippe multae ipsae sponte sua proveniunt; multae nostra manu satae 1) procedunt. Quae non ope humana gignantur, silvestres ac ferae sunt; at quibus labor adhibetur, magis aptae sunt fructibus. Arborum flos est pleni veris indicium et anni renascentis.

2. Non omnes arbores in omnibus locis nascuntur, nec translatae 2) vivunt coelo invidente 3), vel solo repugnante. Quamquam a solo quidem ope diligentis culturae impetratur aliquando, ut alienas arbores alat, advenasque nutriat, contra coeli vero intemperiem, remedium repertum est nullum.

3. Montes amant cedrus, larix, taeda et ceterae, ex quibus resina gignitur, item juniperus et aliae. Montes et valles, diligit abies, robur, castanea, tilia, ilex. Aquosis montibus gaudent, acer, fraxinus, ti-

lia, cerasus. Gaudent 4) frigidis betula. Non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, vaccinia.

4. Arborum aliis decidunt folia, aliae sempiterna coma virent, ut olea, laurus, palma, myrtus, cupressus, pinus, edera, abies, larix, pinaster, juniperus, cedrus, terebinthus, buxus, ilex, taxus, aliae. Latissima folia fico, viti, platano; angusta myrto, punicae, oleae: pungentia, pino, piceae, abieti, larici, cedro. Pinus, abies, picea, larix, cedrus et nonnullae arbores picem gignunt. Omnes perpetuo virent, nec facile discernuntur fronde, nisi a peritis. Abies e cunctis amplissima, illique pulcherrima materies. E ramis generum horum nucamenta squamatim compacta dependent.

5. Vitis ceteris stirpibus jure praeponitur, non tantum fructus dulcedine, sed etiam facilitate, per quam omni paene regione, nisi glaciali, curae hominum respondet, tamque felix campis, quam collibus provenit. Vini genera differunt colore, sapore, aetate, virtute, patria. Mulsum est vinum melle conditum. Uvae suspenduntur, et in sole panduntur, ut passae fiant.

6. Ex omnibus stirpibus longe minorem impensam desiderat olea. Omnis olea major fere ad escam, minor oleo est aptior. Oliva constat nucleo, oleo, carne, amurca.

Palma, arbor nobilis, orienti propria est; sunt quidem et in Europa, sed minutae sterilesque; frugiferae vero nusquam nisi in fervida regione.

1) serere. 2) transferre, (przesadzane). 3) dla klimatu niesprzyjajacego. 4) zimne okolice lubi, (dobrze rośnie.)

36. Piasek, Kamienie.

Arena liquatur igni, ac funditur in usum vitri. — Calx et gypsus e lapidibus coquantur. — Marmor est vel candidum, vel maculosum, versicolores habens maculas, cujus genera et colores non facile est enumerare in tanta multitudine. Marmora scalpunt, secant etiam in crustas. Asbestus lapis est flexilis in modum lini, nihil igni deperdens. Pumex lapis cavernosus, ad corpora laeviganda utilissimus. Lapillos pretiosos, sive plane pellucidos, sive minus, gemmas vocamus. Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, cujus duritia inenarrabilis est. Smaragdus est viridis. Beryllorum probatissimi viriditatem puri maris imitantur. Chrysoberylli sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic est viridius, vocaturque Chrysoprasus. Carbunculus a similitudine ignium appellatur. Saphiri coeruleae, raroque cum purpura: nusquam perlucidae. — Magnes ferrum ad

se allicit et attrahit; est etiam ipsi vis ad septemtriones dirigens.

37. Sól kuchenna.

Sal omnis aut fit, aut gignitur 1), utrumque plurimis modis. Sunt montes nativi salis, in quibus lapicidinarum modo caeditur, quem salem vocant fossitium. Aliud genus ex aqua marina sponte gignitur, spuma in extremis littoribus ac scopulis relicta. Factitii salis varia genera; vel enim in salinis, mari affuso 2), sole multo inarescit, vel excoquitur muria ex fontibus hausta 3), et sal coficitur candidus. Sale in condiendis cibus atque servandis carnibus et piscibus utimur.

1) albo się sama tworzy czyli rodzi, albo ię robią, np. warzeniem. 2) affundere. 3) haurire.

38. Kruszce.

1. Metalla scrobibus maxime puteorum effodiuntur, dum cuniculis per magna spatia actis 1), cavantur montes ad lucernarum lumina: in quo opere sidunt nonnunquam rinae subito et opprimunt operarios. Quod effossum 2) est, tunditur, lavatur, molitur in farinam. Ignis vitium metalli excoquit. Quae e catino jactatur inutilis materia, in omni metallo scoria vocatur.

1) agere, ulicami podziemnemi, do znaczney rozległości doprowadzonemi. 2) effodere.

2. Auro praecipua gratia, ob fulgorem et raritatem. Invenitur etiam in fluminibus, quo nullum absolutius est. Non aliud metallum laxius dilatatur. Et quum penderosissimum sit omnium, non modo metallorum, sed corporum, quod Hispanico nomine Platinam appellamus, ad eam proxime accedit pondere aurum. Argentum non nisi in puteis reperitur. Aes effoditur ignique perficitur. Antiquissima pecunia ex illo cudebatur, immo ante numerorum usum pretium aliarum rerum aeris pondere aestimabatur. Cadmia in aes conjicitur, ut fiat orichalcum. Plumbum est metalli genus stanno inferius. Ejus natura humida est, stanni autem natura plus aridi habet: ideo hoc ad nullam rem sine mistura utile est. Stannum illitum 1) aeneis vasis saporrem gratiores facit, et compescit aeruginis virus. Ferri metallum ubique prope modum reperiuntur, minimaque difficultate cognoscuntur. Ex hoc ferro optima pessimaque vitae instrumenta fiunt; siquidem hoc humum scindimus, exstruimus tecta, saxa caedimus, plurimosque ad alios usus ferrum adhibemus, sed eodem ad bella, caedes, latrocinia homines utuntur. Chalybs est genus ferri durissimi. — Argentum quod vocatur vivum, metallum est, quod unum in eo quo homines vivimus calore liquidum semper est; nec nisi maximo fri-

gore in ceterorum metallorum habitum concresecit sive congelatur. Innatant ei quaecumque injiciuntur, praeter illa metallorum ponderosissima. Vasa exest 2) ac perrumpit, e quovis metallo, praeter ferum et platinam, conflata.

1) illinere. 2) exedere.

III

WYIMKI.

Z MITOLOGII.

1. Graeci veteres atque Romani, non sicut nos, unum Deum, sed plures deos deasque colebant. Nam inter eos philosophi quidam erant, qui vanitatem religionis popularis intelligerent, et unum tantummodo Deum, hujus mundi opificem, colendum esse censerent: vulgus tamen innumeros fere deos colebat, donec christiana Religio doctrinam de uno Deo latius propagaret. Illorum deorum notissimos recensebimus.

2. Omnium deorum primus et maximus erat Jupiter. Hic Saturni et Rheae filius fuisse, et in Creta insula natus et educatus esse dicitur. Quum autem adolevisset 1), patrem suum regno expulit 2), atque illud

cum fratribus suis ita divisit, ut ipse imperium coeli et terrae, Neptunus maris, et Pluto inferorum obtineret. Attamen etiam Neptunus et Pluto illi parebant. Fingebatur Jupiter plerumque sedens in solio eburneo, sceptrum sinistra manu, dextra fulmen tenens. Juxta eum stabat aquila; quae avis ei consecrata est, et pocillator Ganymedes. Ex arboribus sacra ei erat quercus.

1) adolescere. 2) expellere.

3. Jovis uxor et soror erat Juno. Fingebatur solio insidens, habitu regali, scepro et diademate insignis. Dea haec regnis et matrimoniis praeerat. Ex avibus pavo illi sacratus erat, qui et in imaginibus ejus conspici solet. Junonis ministra et nuncia erat Iris.

4. Vesta, Saturni filia, ignem domesticum significabat. Semper virgo fuit. Cultus ejus fuit antiquissimus. Romae primus ei templum rex Numa extruxit 1). In eo statua nulla erat, sed ignis perpetuus a virginibus Vestalibus, hujus deae sacerdotibus, servabatur, et gravis poena in eam, cujus negligentia ignis ille extinctus 2) foret, constituta erat.

1) extruere. 2) extinguere.

5. Minerva, quae et Pallas dicitur, Jovi dignitate fuit proxima, atque adeo ex cere-

bro Jovis nata 1) esse fingitur, quia sapientiae et artium praeses habetur. Colebatur imprimis Athenis, ubi maxime litterarum studia vigeant. Tribuunt ei inventionem lanificii et oleae. Tum belli etiam armorum dea erat. Denique quadrigas et bigas invenisse fertur. Fingitur armata, torvo vultu, glaucis oculis, galeam capite gerens et induta thorace, in quo effictum 2) erat Medusae caput serpentibus circumvolutum, cujus aspectus homines in lapides convertere credebatur. Ex avibus noctua ei sacra erat, ex arboribus olea.

1) nasci. 2) effingere.

6. Ceres, Saturni et Rheae filia, frugum dea. Haec prima salionem et usum frumenti homines docuit, quum antea glandibus vescerentur. Sacra ejus religioso quodam silentio celebrabantur. Fingebatur coronam gestans spicis ornatam, facem plerumque altera manu tenens, (quoniam facibus olim ad Aetnam accensis Proserpivam filiam a Plutone raptam quaesiverat), altera interdum papaver.

7. Mars, belli praeses, praecipuo honore a Romanis colebatur. Romulum et Remum, qui Romam condiderant, filios ejus fuisse credentibus. Animalia ei sacra erant lupo, picus et maxime equus. Fingebatur ardente vultu, curru plerumque insi-

stens, vel equo insidens, hasta et flagello armatus. In ejus honorem tertius annus mensis Martius dictus est. Aurigae munere in curru Martis fungebatur Bellona, soror illius. Victoria Romae colebatur sub forma viridinis alatae, coronam vel palmam manu ferentis.

8. Mercurius, Jovis et Majae (quae filia erat Atlantis) filius, nuncius deorum erat, praecipue Jovis. Praeerat sermoni et eloquentiae; animas defunctorum ad inferos deducebat; mercatorum quoque et lucri, quin et furum deus habebatur. Praeterea musices et lyrae inventor erat. Fingebatur ut juvenis formosus, petaso et talariibus aureis alatis insignis, caduceum sive virgam manu tenens, cui duo serpentes erant circumvoluti, quia praeconis etiam munere fungebatur, et auctor erat pacis, cujus signum olim hic fuit caduceus.

9. Apollo, qui et Phoebus dicitur, Jovis et Latonae filius fuit, cum sorore Diana in insula Delo natus. Hunc quatuor praecipue artium inventorem et praesidem fixerunt, medicinae, artis sagittariae, musices et poësis, unde a poëtis prae ceteris invocatur et Lyram tenens fingitur: denique arti divinandi praeerat, et plurima ei consecrata erant oracula, quorum celeberrimum erat Delphicum. Idem deus praeses erat Musarum, quae litteris et artibus li-

beralibus praesunt. Novem sunt Musae, quarum nomina haec: Clio, Erato, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polyhymnia, Urania, Calliope. Fingebatur Apollo specie imberbis juvenis, promissis capillis, dextra arcum et sagittas, laeva lyram tenens. Coronatur lauro, quae arbor ei sacra erat, unde etiam poetae lauro coronantur. Inter aves sacer ei erat corvus et cygnus. Multi Apollinem et Solem eundem deum esse dicunt; alii tamen rectius eos distinguunt.

10. Diana, Apollinis soror, Jovis et Latonae filia, semper virgo fuisse fertur. Eadem et Luna fuisse dicitur, quare cum lunula in fronte pingitur. Praeerat venationibus, silvis et montibus, quare canes ei erant consecrati. Fingebatur coma soluta, arcum et sagittas manu tenens, cervos aliasve feras persequens cum canibus.

11. Venus, amoris et pulchritudinis dea, ex spuma maris orta esse dicitur. Curru vehitur tracto a cygnis vel columbis. Ex arboribus myrtus ei sacra erat. Comitatur eam filius Cupido, puer alatus et arcu atque sagittis instructus. Praeter hunc comites habet tres Gratias, venustatis deas. Dicuntur Aglaia, Thalia, Euphrosyna. Haec finguntur plerumque nudae et manibus junctis.

12. Veneris, pulcherrimae omnium deorum, maritus erat turpissimus omnium deorum, Vulcanus, Jovis et Junonis filius. Ob deformitatem a Jove coelo ejectus 2) et in insulam Lemnum delapsus 2), eoque claudus factus est. Erat ignis et ferrorum ferrariorum deus. Officinam habebat in monte Aetna. Ministri ejus erant Cyclopes, gigantes, unum oculum in media fronte habentes.

1) ejicere. 2) delabi.

13. Neptunus, Jovis frater, maris imperium obtinuerat. Huic, quia primum equum e terra produxisse credebatur, equus erat consecratus. Agnoscitur imprimis tridente, quem manu gerit. Comitatur eum Triton filius, tubicen, qui concha pro tuba utitur.

14. Pluto, Saturni filius, inferorum deus pingitur solio insidens loco tenebricoso, torvo vultu, scepro et corona ex ebano insignis. Plutonis uxor erat Proserpina, Jovis et Cereris filia. Hanc Pluto ex Sicilia rapuit. Cereris tamen precibus effectum est, ut sex tantum menses apud maritum in Orco, sex reliquos apud matrem degeret. Orco dividitur in Tartarum, sedem malorum et improborum, qui variis ibi poenis cruciantur; et campos Elysios piorum sedem. Judices umbrarum tres sunt; Minos, Rha-

damanthus, Aeacus. Ad inferos umbras deducit Mercurius. deductas excipit nauta Caron, et trans Stygem et Acherontem, Orci flumen, transvehit. Qui in terra humati non sunt, diu in littore Stygis circumerrant. Propterea magnam sepulturae curam habebant veteres. Ex flumine Lethe oblivionem superioris vitae bibunt. Introitum Orci custodit canis Cerberus, horribile monstrum, triceps et serpentibus circumvolutum. Adsunt in Orco etiam Furiae, quae malos homines excruciant. Vocantur Alecto, Tisiphone, Megaera. Crinibus serpentes involutos habent; manu facem ardentem gestant. Significant hominis conscientiam, quae maleficos excruciat. — Commemorandae etiam sunt Parcae, quae fati hominum praesunt. Vocantur Clotho, Lachesis, Atropos. Lachesis colum tenet, Clotho filum vitae ducit, Atropos abruptit.

15. Janus anni deus, initiis et vicissitudinibus omnibus, anni maxime et mensium et diei, item foribus praeerat, quae ab eo januae dicuntur. Mensis quoque Januarius, qui annum aperit, de Jano dictus est. Hic primus homines sacrorum ritus docuisse dicitur, fuisse autem antiquus Italiae rex, qui vini usum Italos docuerit. Statua ejus erat bifrons, ut et praeterita et futura spectare videretur. Clavem et virgam manu tenet. Templum ejus antiquissimum Ro-

mae sub Capitolio belli tempore patebat; pace facta claudabatur: quod intra annos DCCXXIII. ter tantum accidit.

16. Saturnus, temporis in genere deus, fuit Coeli et Telluris filius. Liberos, quos ei pariebat Rhea, devoravit. Sed pro Jove datus ei est lapis. Postea a Jove regno pulsus ad Janum in Italiam confugit, et ibi latuit, unde ea regio Latii nomen accepisse fertur. A Jano in societatem regni adscitus homines agrestes ad mores humaniores perduxit, unde eo regnante aurea aetas floruisse dicitur. Fingitur Saturnus ut senex decrepitus, falcem manu tenens, aliquando et anguem caudam sibi mordentem: aliquando denique infantem devorans. Saturnalia in ejus honorem celebrantur mense Decembri per septem dies, maxima laetitia. Tum munera inter se mittebant Romani. Servis tum licebat cum dominis ludere et joculari, iisque ad mensam accumbentibus ministrabant domini, quo auream significarent aetatem, qua omnes homines ejusdem conditionis fuerunt.

17. Uxor Saturni erat Rhea, quae eadem mater deorum, et Cybele vocatur. Colebatur praecipue in montibus Phrygiae. Fingebatur coronam turritam gestans, clavem tenens, curruique insidens a leonibus tracto. In ejus sacris tympanis et cymbalis

utelantur sacerdotes. Ex arboribus ei sacra erat pinus.

18. Bacchus erat vini deus. Fingebatur adolescens comatus, formosus et nudus saepe etiam cornutus, hedera coronatus, et manu gestans thyrsus, hoc est, hastam hedera vel pampinis circumvolutam. Currus ejus a tigris vel leonibus trahitur. Comites Bacchi erant Nymphae, Satyri capripedes, et Silenus, qui olim praeceptor ejus fuerat: tum mulieres ebriae et furentes, quae Bacchae et Maenades dicuntur. Immolabatur ei hircus, quod animal vitibus nocere solet.

19. Genius erat naturae deus. Credebant veteres suum unicuique homini esse genium, qui eum tueretur. Itaque jurare solebant per genium suum: servi per genium domini, cives Romani, amissa libertate, per genium principis, jurabant. Multi duos genios, alterum bonum, alterum malum hominibus adesse credebant. Sacra Genio fiebant natali cujusque die floribus et vino, unguentis, ture, nunquam autem sanguine.

20. Praeter hos deos colebant veteres multos alios, quibus minor erat dignitas. Talis e. c. est Pan, pastorum deus, Silvanus silvarum et ruris praeses; Pomona, pomorum dea; Terminus, qui agrorum fines tuebatur, et lapidis quadrati specie co-

lebatur. Multi praeterea Heroes propter merita et virtutes inter deos recepti sunt, e. c. Hercules, fortissimus antiquitatis heros; Castor et Pollux; Aesculapius, medicorum deus, Quirinus, quo nomine Romulus, Romae conditor, colebatur. Imperatores etiam a Romanis inter deos referri solebant: nec ipsi solum, sed etiam eorum uxorem, filiae, sorores. Tandem etiam virtutes, affectiones animi, et similia a Graecis, Romanisque colebantur. E. c. Virtus et Honor duas aedes habuerunt extra urbem ita positas, ut per aedem Virtutis ad aedem Honoris aditus esset. Sic porro templum habebat Pietas, Fides, Spes, Pudicitia, Concordia, Pax, Felicitas, Libertas. Ipsa etiam urbs Roma, pro dea habita est. Huc refer etiam Fortunam, quae fingitur in globo vel in rota stans, alata, et navis gubernaculum tenens. Deinde et res quaedam noxiae divino honore sunt cultae. Febris e. c. tria Romae habuit templa.

21. De omnibus his diis multae narrantur fabulae, quarum congeries vocatur Mythologia. Nos quibus veriore sui cognitionem largitus est Deus, grata hoc beneficium piaque mente veneremur.

SŁOWNICZEK

czyli

Objaśnienie wyrazów znajdujących się w tój Xiążce. (NB).

D. (znaczy Deponens) m. (masculinum), f. (femininum) n. (neutrum c. (commune), o. (generis omnis) irr. (Irregularare), p. (participium), h. l. *znaczy: hoc libro*).
1. 2. 3. 4. (1ma, 2da, 3tia, 4ta conjugatio).

A.

Abacus, i, m. Stół na którym się co kładzie, iako w kuchni, do ubierania, grania i t. d. 2. Tablica rachunkowa; 3. Szachownica, h. l. stół kredensowy.

Abdere, 3. (do, didi, ditum) schować oddać, ukryć.
Abdomen, inis, n. podbrzusze.

Aberare, zblądzić, zbląkać się, zboczyć z drogi.
Aberse, (sum, fui) bydź oddalonym, nie bydź przytomnym; 2. zboczyć, odstąpić, brakować.

Abies, ietis, f. Jodła.
Abigere, 3. (igo, egi, actum) oddać, odpędzić; pochodzi od ago.

(NB). Czyni się przestroga, iż w tym Słowniku nie są umieszczone wyrazy łacińskie w tój xiążce będące, które się w podobny xiążce łaciński na Klasyę pierwszą już objaśnione znajdują.

Abru-

Abradere, 3. (rada, si, sum) odskrobać, obciąć.

Abrumpere, 3. (rumpo, rupi, rumpum) oderwać, oberznąć

Abscedere, 3. (cedo, cessi, cessum) odejść, ustąpić.

Abscindere, 3. (scidi, scisum) oderznąć, odkroić.

Absolvere, 3. (solvo, solvi, solutum) darować, odpuścić, rozgrzeszyć; stąd 2. uwolnić, wolnym, niewinnym osądzić; 3. zakończyć, uskutecznić.

Absolutus, a, um, h. l. zakończony, stąd 2. doskonały.

Abundantia, e, f. obfitość.

Accendere, 3. (cendo, di, sum) zapalić, rozświecić, pobudzać, jątrzyć.

Accidere, 3. (cido, cidi, cisum) upadać, padać na kolaną; 2. zdarzyć się; *accidit*, trafia się, od *cado*.

Accipere, 3. (cipio, cepi, ceptum) wziąć, dostać; 2. spostrzedz, pojąć; 3. przyymować kogo.

